







REGI SECVLOR IMMORTALI
S.

ΠΑΛΑΙΩΝ

ΚΕΝΩΝ

HVMANAE SALVTIS MONVMENTA B. ARIÆ MONTANI STVDIO CONSTRVCTA ET DECANTATA

ANTVERP. EX PROTOTYPOGRAPHIA REGIA.

PIORVM ANIMIS RECREANDIS

CHRISTOPH. PLANTINVS D. S. P. F. C.
1571

P H

REGIÆ CATHOL. M^{tis}. PRIVATA LEGE BRVXELLIS ANNO D. CIƆ. IƆ. LXX. SEPT. ID. MARTII LATA ET FIRMATA I. DE LANGHE SVB GRAVI MVLCTA CAVETVR, NE QVIS, CITRA CHRISTOPH. PLANTINI PROTOTYPOGR. REGII VOLVNTATEM, HÆC SALVTIS HVMANÆ MONVMENTA, &c. PROX. SEXENNIO VLLO MODO IMITETVR, IMPRIMAT, VEL QVOVIS MODO DISTRAHAT.

CHRISTOPHORVS PLANTINVS LECTORI S.



VM omnes cogitationes, studium, operam, atque adeo quidquid in nobis est, candide Lector, ad Typographiam, quæ ceteras artes sua præstantia illustrat, iamdiu contulerimus; nihil nobis charius certè, aut antiquius est, quàm vt bonarum literarum, ac potissimùm sacrosanctæ Theologiæ studia omni ex parte promoueamus, ac piis, iisdemqúe multiplici disciplinarum genere ornatis viris, continuo labore, ac industria (quantulacunque ea est) pro viribus consulamus. Neque verò in præbenda studiosis hominibus materia, & copiosa gratissimorum studiornm supellectile adeò toti sumus, quin nonnulla etiã oblectamenta grauibus intermixta studiis, lectoribus subinde proponamus. Hoc enim inter cetera nobis semper fuit propositum, vt seriis studiis, & continuis laboribus defatigatos, iucunda aliqua, neque ea tamen inani occupatione interdum detineremus. hoc itaque consilio adducti præstantis-

*ſimos, ac probatiſsimos quoſque Poëtas, tum ve-
teres, tum recentiores: nõnulla etiã alia, in om-
ni ferè artium (quarum profeſſoribus nos ſatis
eſſe facturos exiſtimauimus) ac ſcientiarum ge-
nere opuſcula, typis, quoad fieri potuit, eleganti-
bus, excudimus. Cùm verò inter ceteras artes,
quas diuina munificentia hominibus elargita
eſt, pictura ea ſit, quæ tum vtilitatis, tum dele-
ctationis non infimas partes ſuo iure quodam-
modo ſibi vendicet, quippe quæ res omnes, quæ
quidem in hac rerum vniuerſitate conſpiciun-
tur, ita repræſentet, atque ita oculos teneat, vt
eæ tanquã viuæ rerum imagines imperitos etiã
ipſos res geſtas luculenter edoceant, ipſumq́ue ani-
mum moueant, atq. adeò aliàs lecta, quarumq́ue
memoria exciderat, ſui inſpectione in mentem
reuocent, vt hac potiſsimùm de cauſa non par-
uam hæc ars cum typographica noſtra affinita-
tem habere videatur: Inſtituti noſtri eſſe exi-
ſtimauimus Ariæ Montani publicæ vtilitatis
ſtudioſiſsimi, ac de bonis literis, & diſciplinis op-
timè meriti, Architecturæ etiam peritiſsimi (cui
enim niſi ingenioſiſsimo huic viro, tabularum,
quas in hoc opere artificiosè cælatas conſpicis, ad-*

mirabilem ſtructurā acceptam referamus?) fœcundiſsimum, & quouis doctrinæ genere refertiſsimum opus, id eſt, vnam & ſeptuaginta odas, quibus ille felici quadam ingenij dexteritate, carminis elegantia, & grauitate maximum, & admirabile omnino ſalutis noſtræ myſterium iam inde ab ipſo primi parentis lapſu ad Euangeliſtas vſque proſecutus eſt, adhibitis ad eam rem exercitatiſsimis pictoribus, & tabellarum, quibus ſacræ hiſtoriæ aptiſsimè repræſentantur, cælatoribus, ſummis laboribus, ac ſumptibus, quibus profectò, hac potiſsimùm in parte, vt videre eſt, nō pepercimus, qua potuimus induſtria, typis noſtris excudere: idq́ ita elaboratū & omnibus ſui partibus abſolutū tibi tandē exhibere. Qua quidem in re ſi noſtros labores tibi gratos eſſe comperiemus; longè maiora, Deo dante, tum ab ipſo Auctore, tum etiam à nobis poſthac in communem ſtudioſorum vtilitatem, cui nos totos noſtraq́ omnia dedicauimus, continuò prodibunt. Vale, & noſtrum hūc laborem æqui conſule. Antuerpiæ Calen. Maij. Anno à Virginis partu M. D. LXXI.

CHRISTO LIBERATORI S.

CHRISTE tuas Laudes, tua magna negotia, parui
Aggredimur breuibus dicere carminibus.
Ponimus exiguis memoranda exempla tabellis,
Consilium & summi per tua gesta patris.
Annue, dum pictura oculos, aureśq; canendo
Pascimus, impleri numinis vsque tui.
Tunc dabitur miranda animus arcana videre,
Creditaq; humanam vincere sorte vicem.
Tunc animis fidibusq; nouis, meliora feremus
Carmina, de donis munera nata tuis.


IHS
IESVS NAZAR·MAGNI CONS·LEGAT·DOMVS IAG·REX PERP·SALVTIS P.M·PAT·FVT·SEC·IVDEX VIVOR·ET MORTVOR

In tabulam Mosis Prophetæ.

Ode sapphica. II.

Clara Leuitum soboles, Deo nec
Non viris charum caput, ac puellis,
Quem pater Nilus puerum innocenti
Sustulit alueo.
Si quid angusto celebrare versu
Possumus magnum, tibi nostra mixtis
Vox ferat Moses fidibus dicati
Carminis hymnum.
Te repromissæ proprium salutis
Indicem, ingratus fugat in remotas
Proditor gentes, generum sed hospes
Nobilis optat.
Redditus tandem populo tuorum
Nuncius magni superum parentis,
Rector afflicti & generis minister,
Nosceris idem.
Præpotens herbis magicóque cantu
Thana mentitas simulare formas,
Mox tibi veris agitata monstris
Victaque cessit.
Impiger ductor populi timentis,
Pectora vt verbis recreas disertis,
Ipse, quæ nunquam metuis, pericla
Vincere monstras.
Numinis puræ placitura menti
Iura, quæ gentes metuantque reges,
Certus interpres capis, obstupendo
Clarus honore.

VERÆ SAPIENTIÆ RVDIMENTA.

Dux hominum interpresq; Dei mitißime Moses
Omnia qui primus tempora ponis, aue.



FIDELI MINISTRO POS.



PH

In tabulam præuaricationis parentum.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. III.

EHEV *laborum pondera maxima,*
Mortale quondam queis premitur genus,
Inuexit orbi tunc recenti
Fœmineæ leuitatis error.
Postquàm parentum, plura petentium
Quàm vox benigni præbuerat Dei;
Attendit infausti draconis
Credulitas male suada verbis:
Ardor negatæ dum sapientiæ,
Summiqúe certans ambitio loci
Angustiores dat videri
Diuitias, cumulumqúe celat.
Pellexit arbos raráque frondium
Prospecta, ramis forma micantibus,
Fatale vt auderent scelesto
Dente (nefas) temerare malum.
Conceptus ægro pectore conscius
Succus, patenteis mox reserat vias,
Qua culpa lethi sæua mater,
Visceribusque, animisque regnet.
Hoc fonte rixæ, dissidia & furor,
Pugnæ, rapinæ, sæuaqúe criminis
Turba & dolores in nepotum
Pernitiem & dedecus redundant.

AMBITIO ÆRVMNOSA.

Principium errorisq; mali, miseræq; ruinæ
Est præceptori credere nolle Deo.



FRAVDIS EXPOLIATRICIS MONVM.

PH

In tabulam Serpentis à Deo maledicti.

Ode dicolos distrophos. IIII.

VICTOR *dum, patribus perpetuo iugo*
Depreßis, celebrat gaudia Lucifer;
Præclara & repetit cum grege perfido
Palmæ præmia nobilis:
Duci fata ſuis audijt abſona
Inceptis ſtabili conſilio Dei:
Criſtatumqúe gemens puluere verticem
Squamoſus poſuit Draco.
Nam cur tu inuidiæ fraudibus inſolens
Virtutis referas vel ſapientiæ
Laudem? colloquio quòd ſuperes nimis
Vano, fœmineum caput?
Iam te ſollicitum terribiles metus,
Expers lætitiæ & ſuſpicio manet.
Quæ ſemper pauido pectore ſentias,
Nec vitare queas ferus.
Quin de fœminea ſtirpe, tenerrimus
Naſcetur valido robore ſurculus:
Iſtud comminuat qui cerebrum citò
Huic dum tu inſidias paras.
Exercere malis ingenium dolis,
Et rumpi inuidia, perpetuum tibi,
Torquerique animo, quòd proprijs male
Demens conſiliis cadas.
Dein victus grauibus guttura vinculis,
Aeternóque caput ſupplicio dabis,
Et commenta fremens ſtultitiæ tuæ
Flammis vindicibus lues.



CONSILIVM ABSCONDITVM.

Ingeniis hominum cunctis reperire negatum
Surgit opus, magno propositum Artifici.



MISERICORDIAE ASSERTRICI. S.

PH



In tabulam Noë ſacrificantis

ODE SAPPHICA. V.

SOL vbi cælo faciem ſereno
Purus oſtendit, decus atque rebus
Redditum eſt, quales variata formas
Terra tenebat.
(Nuper heu noxis hominum per omnes
Ambitus Lunæ, penitus negata his
Vſibus vitæ & pelago innatanti
Iuſſa latêre.)
Tunc ſenex, auctor ſobolis futuræ,
Ceſpite inſtratas pia thura ad aras
Admouet, iungens precibus probanda
Dona ſuperſtes.
Annuit votis Deus, ac benigna
Voce, ſint, dixit, renouata certis
Curſibus, iuſtos habitura mundi
Tempora fines.
Iam ſemel vaſtis periiſſe in vndis
Secla brutorum ſobolemqúe Adami,
Sit ſatis; poſthac potiora tecum
Fœdera iungam.

FOEDVS INSTAVRATVM.

Fraude hominum Deus offensus cùm concipit iras,
Consilij clemens est memor vsque sui.



MISERICORDIAE PROSPECTRICI S.



ODE DICOLOS DISTROPHOS AD FIDEM. VI.

QVEM *tu diua fides virum*
Viuentem solido pectore finxeris,
Vulgo & sepositum leui,
Arcani imbueris muneribus tui,
Illum non labor improbus,
Ignotíue loci suspicio tremens,
Aut vrbis memorem suæ,
Laudantémue soli commoda cogniti,
Terret, quo minus arduas
Iussus voce Dei perficiat vias.
Quamquam incerta quies loci
Non vsquam stabilem contineat domum,
Iamque exusta caloribus,
Iam concreta pigræ frigoribus niuis
Ostentet regio metum:
Non syluæ indomitis horribiles feris,
Non præceps fluuij fragor,
Non obiecta hominum turba nocentium
Frangit propositum graue,
Quin metam teneat victor amabilem.
O virtutibus integris
Dux certa, & superum viribus æmula,
O quæ corpore languidis
Robur sufficere & vim potes integram;
Tu insperata parentibus
Effœto senio pignora prospicis;
Tu montes trahere, & maris
Fluctus disiicere, & flumina rupibus
Insuetas noua per vias
Deriuare potes, nam bonus omnia
Regnator superum tuis
Et sese voluit tradere nutibus.

OBEDIENTIA CONSTANS.

Ille ſapit, qui diuitias patriamq́; genusq́;
Qui decus in ſolo numine propoſuit.



FIDEI DVCI SAC.

PH



In tabulam tentationis Abrahæ.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. VII.

SPECTATVM *innumeris ante periculis*
Viuacis fidei robur, in vltimos
Incursus stabilis sustinet Abraham,
Aeternumq; meret decus.

Incensus studiis, & docilis sequi
Quicquid vel iubeat vel vetet arbiter,
Cælorum bonus & cælicolûm sator
Cui se subdiderat pium.

Exhausti senij pignora dulcia
Concessa, ac sobolis semina posteræ,
Flammis vt properet tradere mysticis;
Præsens voce monet Deus.

Illum non iuuenis vultus amabilis
Hostis qui gladium sisteret, ac manus,
Nec virtus variis vnica seculis
Turbat, nec pietas patrem.

Orbandæ aut gemitus coniugis, & graui
Questu perpetuo difficiles dies,
Aut immensus amor continet editi
Nati non solitis modis.

Promissam sobolem iussa negantia, &
Pugnans pollicitis consilium nouum
Non sistit dubium, nec facit exitus
Spem deponere prosperi.

Namque immota fides, cùm semel hæserit
Deuoto penitus pectore, sustinet
Quicquid superum, vel genus vel inferum
Vel tentare paret Deus.

FIDEI TTSTIMONIVM.

Nil nisi quod dixit Dominus sapere, hoc sapientũ est,
Et nusquam visum fallere consilium.



DEO EXAMINATORI. S.



P H

In somnium Iacob.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. VIII.

QVÆ patribus firmata olim sunt fœdera primis,
Nouiq́ue cœpta ab orbis ante termino,
Et quæ prima hominum, quæq́ue altera credidit ætas,
Rudi sed vsque peruoluta imagine:
Hæc eadem iam clara magis, monstrataq́ue cernit
Suo Iacobus expedita tempore.
Qui dum humilis, fugiensq́ue minas fratrisq́ue furores,
Deum vocaret, inq́ue vota posceret:
Et placido iam membra daret recreanda sopori,
Labore pressa, mente sed vigil magis:
En certus docilisq́ue, poli manifesta videbat
Patentis ampla permicare limina.
Innixamq́ue solo scalam, quæ vertice summo,
Poli tonantis alta templa vinceret.
Multifidoq́ue gradu, terris deduceret imis
Ad vsque tecta fulgidi orbis aurea.
Illic supremam sedem, pater ipse benignè
Fouens, tenebat efficace numine:
Quo vultu solisq́ue ignes, hyemesq́ue niuales,
Et impotentis impetum maris regit.
Hâc iter ad superos didicit, certamq́ue patere
Viam perennis vsque ad intima ætheris.
Iamq́ue oblata hominum generi commercia diuûm
Videns, fatetur atque adorat excitus.
Cernit enim aligeros, non agmina rara, ministros
Identidem altos ferre per gradus pedem.
Inde hominum terras inuisere, rursus & isthinc
Tonantis alta commeare limina.
Tunc pauet agnoscitq́ue domum portamq́ue supernam.
Opus sed astra quod pererrat vltima,
Quodq́ue premens terras, præteruolat æthera, in arctum
Vocare carmen & referre sit nefas.

Cur tanto genus humanum dignetur honore
Dicere, non nisi qui perficere ipse potest.



DEI PHILANTHROPIAE. 8.



PH

In testamentum Israëlis.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. IX.


VICINA letho prouida mens senis,
Et iussa patrum tendere ad inferas
Sedes piorum, quas serenat
Spes patriam recolens supernam.
Et iam secundo proxima lumini,
Soluenda pressi, & corporis artubus,
Cœliq; promissis adhærens,
Certa boni memor & futuri
Dilecta prolis pignora posteræ
Bis sena natos nomina conuocat,
Speraret vnde & comparandam
Sideribus sobolis cateruam.
His tum vaganti, & hospitibus domo
Certi nec vsquam compotibus soli
Speranda venturos in annos
Fata canit, numeratq; sortes:
Et regna, regum & munera, diuites
Promittit vrbes, & spolia, atque opes:
Gentes, & extinctos tyrannos,
Numinis auxilio potentis.
Mores nepotum, cunctaq; ab ordine
Spectanda rerum sæcula disserit,
Seruanda præcepta & secundis
Temporibus dubiisq; dictat.
Responsa magni mystica consilî,
Plenumq; priscis pollicitis opus,
Sermone quæ æternam latenti
Mentibus insinuant salutem.
Ille & sepulchri funera debita
Optabat, agris in Iebusum sibi,
Mansurus electos nepotes
Sede piis patribus notata.

FIDES MORTI INSVPERABILIS.

Constituit rerum certos ex ordine fines,
Vatibus & tradit secla notanda Deus.



DEO DOCTORI SAPIENTI S.



ODE SAPPHICA. X.

NVLLA vis terris, licet vsque denso
Fulta conatu, valet imperantis
Numinis certam variare mentem,
Consiliúmue.
Nam simul iunctis opibus, manuq́ue
Stulta mens tentat, temerare sanctos
Nescit, ac cæli tamen euehendos
Suscipit orsus.
Quiq́ue deduci monitis supernis
(Quæ iuuant puras recreantq́ue mentes)
Abnuit, sumptis, equus vt, capistris
Voluitur amens:
Ne queat sacros retinere cursus.
Impij quondam soboles Chamesi,
Nempe dilectam superis parabat
Perdere gentem.
Quodq́ue plantarat Deus ipse cultor
Germen augendæ pietatis, vndis
Damnat, & monstris fluuij Tyrannus
Destinat atrox.
Sed nefas horret subiisse Nilus,
Audit vt flentis pueri querelam,
Quem dat arcanæ Deus administrum
Esse salutis.
Ipse & insonteis vigil amnis vndas
Contrahit, parcens properare, & acres
Continent morsus liquido adnatantes
Flumine pisces.
Denique iniustæ populator aulæ
Qui sit & vindex generi, nocentis
Regis ingrato gremio fouetur,
Crescit & ignis.

TYRANNVS MISERICORDIÆ CONCED.

Casibus in duris rerum, spes certa salutis
Expectare, bonus quid velit ipse Deus.



PROVIDENTIAE VICTRICI. S.



In tabulam Mosis, populi salutem meditantis.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XI.

OLIM *expectatæ iam nimium diu*
Moses & mente, & viribus integris
Non vana sperandæ salutis
Signa suo generi adferebat.
Pridem nutritus molliter aulico
Sumptu, qui posset delitiis frui
Et verba concepti fauoris
Vendere, compositumq́ fumum.
Non quisquam claris doctior artibus
Illo, non belli consiliis prior,
Aequanda summis aucupari
Præmia principibus valeret.
At quantum posset viribus ingeni
Quantum præstanti robore corporis
Totum paterno dedicabat
Ille Deo & populo suorum.
Tum fratrum casus commiserans graueis,
Quorum pro rebus non timeat mori,
Proponit audax & doceri,
Et facere auxilij periclum
Illius vires & studium efficax
Sensit (nam liber viderat) inuida
Qui Aegyptij vidit sepulchro
Membra, dari nimium superbi.
Sed prona fraudi mens hominum suæ,
Et sæpe oblatis inuida commodis,
Momenta monstratæ salutis
Spernit & auxilij ministrum.
Hunc iras regis cum generis dolis
Vitantem, grato pignore suscipit,
Seruatq́ Midianes ad illa.
Tempora, quæ Deus annotarat.

OPTIO INCOMPARABILIS.

Publica cura animos magnos, & pectora tent.
Certaq; discrimen corda subire graue.



SAPIENTIAE ILLVMINATRICI S.

PH



In tabulam Mosis, rubi incendium mirati.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XII.

FLAMMAS *innocuas non solitum genus,*
Incensisq́; rubum frondibus integrum,
Audax noscere Pastor
Vel tentare (nefas) caue.
Quamuis tu Phariis cultior artibus,
Cælo dinumeres astra nitentia;
Et res noueris vnus,
Quas tellus fouet ac mare;
Humanam fugiunt hæc sapientiam,
Et nostro positos ingenio modos,
Queis attingere mundi
Vix conclusa licet polis.
Quod si tantus amor discere, quam nouam
Mirator speciem conspicis, infimas
Curas exue terræ,
Et fastus animi graues.
Fœdis ne temeres, ah, loca sordibus,
Quæ cernis sacra sunt plenaq́; numinis:
Hæc mente, & pede puro,
Simplex discipulus petas.
Hic iam veridica voce docebere,
Quàm magnis valeat viribus efficax
Ignis, vertere mundi
Formas, in speciem nouam.
Namque ille & tenebras, & chaos, & nihil
Quondam discutiens intulit optimi
Mundi consona membra,
Finesq́;, & varium decus.
Idem gratus amor perpetuo bonus,
Flammæ quem specie non temere vides,
Vitam reddere & almam
Lucem terrigenis parat.


DIVINÆ VIRTVTIS SPECIMEN.
Fluctibus in mediis, & tempestatibus orbis
Certa est, quæ charis lux micet alma piis.
P.B
ΛΦΒ
MISERICORDIAE MEMORI. S.
P H

In tabulam exitus ex Ægypto.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. XIII.

ISACI *pueri integri*
Maturi inualidis cum ſenibus viri,
Mixtæ matribus ac nurus,
Et quantum populi eſt ordine ab infimo;
Maturate laboribus
Exire, atque humili ſeruitij domo:
Aurum, & gemmea pocula,
Argenti & ſolidi vaſa nitentia,
Textæ & vellera purpuræ,
Et quicquid ſpolij poßideat ferox
Viri progenies Chami,
Deuictis penitus diripite hoſtibus.
Nec clementia parcere
Cuiquam, nec ſtatuat pignoribus modum:
Veſtrum nam, pauidi moræ,
Diſceſſum rediment munere quolibet.
Suetos pondus iniquius
Compulſis humeris tollere ſarcinas
Iam nunc non pigeat graueis;
Et vires cumulent diuitiæ nouas.
Summi hinc dextera numinis,
Hinc addant animos gaudia publica,
Sancti hinc auſpicium ducis,
Qui vos è tenebris carceris horridi,
Duri & ſeruitio iugi,
Ereptos retulit luminis in diem:
Arcanis meritam diem
Dignam & perpetuis carminibus coli
Vitæ munia libera
Quæ ſeruis renouat, quæ populi decus.
Summi conſilium Dei,
Vos iam magnificis tollite laudibus:
Fauſtas ſpes hilares capite
Et ſentite, fluant vt leuius dies.

EVANGELII EXEMPLVM.

Nil non posse datum iis quorum pietasq; fidesq;
Prompta sequi cedit, qua vocat usq; Deus.



VERBO EFFICACI SAC.

PH



In tabulam maris rubri.

HYMNVS HEXAMETER XIIII.

QVA maris vndisoni longo sinuata recessu
Littora, diductas propulsant margine rubro,
Illic Aethiopum terras, Niliq; vagantis
Irriguos campos; Arabum spirantia thure
Arua bono, & gemmis illinc palmisq; decora,
Diuini præfixa olim monumenta triumphi,
Perpetuo stabilita manent, semperq; manebunt;
Dum lux, dum cælo constent radiantia puro
Sidera; & assiduo spirantes agmine venti
Aërios repetent tractus, pelagoq; tumenti
Constabunt liquidas non irrita iura per vndas.
His etenim populos quondam sæuumq; tyrannum,
(Sacrilegam sobolem Chami, Phariosq; colonos)
Militibus Deus euertit, furibundaq; fudit
Consilia, atque ipsos immensa strage, nec vllo
Seruatos numero, iussit descendere in atras
Pallentis lethiq; domos, Erebiq; tenebras,
Contento studio summis & viribus ausos
Iudicium temerare Patris, cui maxima mundi
Corpora concordi parent variantia lege.
Quique suum populum promissa ad regna vocatum
Iusserat iniustumq; iugum, sæuasq; catenas
(Excelsa quæ cuncta manu confregerat ipse)
Excutere, & monstrata sequi fatiq; viæq;
Signa, reuertentes gratè memoranda per annos.
Ergo lecta manus, discissas ducta per vndas,
Vitalem mirata diem procul aspicit omni
Littore proiectos hosteis, numeroq; carentem
Exanimum turbam in pelago, partemq; profundo
Coniicit immersam cœno, sabuloq; sepultam,
Liberaq; exultat plebes laudatq; potentis
ACTA DEI, ARCANÆQVE CANIT MONVMENTA SALVTIS.

ARCANÆ SALVTIS ARGVM.

Queis voluit prodesse Deus, Natura benigna est
Omnis, at vltricem fert inimica cohors.



DEO VICTORI VINDICI. SAC.



In tabulam acceptæ Legis apud Sina Montem.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XV.

QVOD *prima nusquam sæcula viderant,*
Vidère cani cum pueris senes,
Vxorq́ue, nubilisq́ue virgo,
Turba pauens populusq́ue cunctus,
Mortalium vti colloquiis Deum,
Et voce sancti numinis indice,
Præsentis electæq́ue gentis
Fœdera participem subire:
Cùm liberatam seruitio graui
Plebem sacratis montium in abditis
Doctorq́ue, dictatorq́ue coram
Alloquitur, recitatq́ue leges.
Cui signa præfert sollicitus timor,
Qui corda miro concutit impetu,
Clamore perrumpens tubæq́ue
Saxa sono, tremulosq́ue monteis.
Hinc ignis alto deuolat æthere,
Summiq́ue tractus montis & aëra
Collustrat, vrenteisq́ue flammas
Congeminat, penetratq́ue cautes.
Tunc explicatis vocibus, optima
Præcepta plebes, iuraq́ue suscipit,
Aequumq́ue, prælucensq́ue verum,
Fasq́ue pium, officiiq́ue normam.
Legesq́ue certum quæ doceant decus;
Sed mole monteis concutiant graui,
Morboq́ue languenteis auito,
Imperio exagitent tremendo:
Donec potentis numine, cordium
Illapsus vrat spiritus intima,
Præstare & expertes pauoris
Sponte animos meliora donet.

HVMANÆ INFIRMITVDINIS EXAM.

Lux terris veneranda micat, mortalia ſed quæ
Lumina præſtringens turbet & vſq; premat.



DEO PVRO SANCTO TERRIB. S.



In tabulam collectionis mannæ.

Ode tricolos tetrastrophos XVI.

PENV *benigni ex ætheris editam*
Intaminato & munere simplicem
Miratur annonam legendo
Plebs alacris, cumulumque magnum.
Desideratis quas tulerat dapes,
Festina, sacrum dum sequitur ducem,
Verbisque concedens supernis,
Tesqua petit sterilesque tractus.
Tunc prouidentis consilio Dei
Educta turmæ pennigeræ cohors,
De rore confectas sereno
Ambrosiamque, epulasque promit.
Nullis parata hæc dona laboribus,
Lentis vel anni cursibus, aut graui
Quæsita curarum tumultu
Lucifer exoriens ferebat.
Sic dormienti, cui superi fauent,
Adaucta rerum commoda cernimus,
Aedeisque crescentemque longo
Tempore progeniem parari:
Dum certus ille, & pollicitis pius
Credens benignis, non timet ardua
Ferre, atque quâ ducit vocantis
Mens, sequitur, peragratque certus.
Hæc esca plenam, numinis & manum
Atque efficacem pascere comprobat,
Natura seu iussas ministret,
Siue neget properata parteis.
Maiora nostris fercula seculis
Delata puri culminibus poli
Ponuntur, æternæque vitæ
Pignora terrigenis petenda.

FIDES NVSQVAM EGENS.

Esse homini in terris poterit quæ grata voluptas,
Cui diuina semel contigit Ambrosia?



PROVIDENTIAE LOCVPLETI. S.

PH

In tabulam Iſraëlitarum Iordanem tranſeuntium.

ODE SAPPHICA. XVII.

NON *pauens vanis metus, & viarum*
Qui negat duros tolerare caſus,
Longa vel deſes memorat remoti
Tædia finis;
Sed fides conſtans animiq́ magni,
Quæ ſemel certo radiata verbo,
Tramitem oſtenſum ſubit, atque cæli
Proſpicit alti
Templa, lux vnde & fauor, ac potentis
Vis tenax verbi, penetrare præſens
Turbidi fluctus maris, ac ſecundo
Gratia ductu;
Illa mirandos ſuperans labores,
Quos iuuet quondam meminiſſe, pulchrum
Præmium ſummo poſitum reportat
Culmine victrix.
Tunc probat ſortis memor & prioris,
Digna quàm multis fuerint periclis,
Quamqúe contento repetenda curſu
Munera dia.
Sic & Aegypti miſeris redempta
Vinculis felix manus, aduocanti &
Obſequens verbo, tenuit quietis
Regna beatæ.
Hinc inacceſſos trepidare montes,
Hinc opes viſa eſt ſolito priores,
Largius turbæ venienti in vſum
Fundere tellus.
Primus & cuſtos regionis, altum
Senſit vt numen, renuens morari,
Fluminis portam vitream tumentis
Pandit Iarden.

CONSTANTIÆ FRVCTVS.

Felix qui monitisq; Dei verbisq; benigni
Audiit, ille sacræ compos erit patriæ.



FIDELI DEO S.

In tabulam expugnatarum gentium.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XVIII.

AVDITA *quantum vox valeat Dei*
Conuersis rerum cursibus edere,
Vidêre, qui dicto audientes,
Castra loci tetigere odori.
Insueta terris turma recentibus,
Vastis neque ampli corporis artubus
Aequanda cum vulgo tumentum,
Quos regio tulerat, gigantum.
Densis sed vna cum populis tamen
Exercitati robore prælij,
Non parua molitos tyrannos
Consilia exuperauit hospes.
Antiqua namque hos crimina, cum suis
Damnata prorsus gentibus, vltimas
Perferre pœnas, atque auitis
Tradiderant spoliare fundis.
Quos non labore, at numine vindice
Dux sternit instans. Adsumus, adsumus
Vltoris æterni ministri,
Atque suos peragentis orsus.
Vexata tellus fraudibus impiis,
Prolem nefandi conuomuit Chami,
Natosq; suscepit fidelis
Hospitis, & memor & beata.
Arcana quo iam nomina maximi
Doctore primum numinis audiit:
Qui secla, cælestesq́ue turmas
Vnus agit moderator æquus.
Turrita iusto mœnia iudici
Firmata vastis vectibus, & trabes
Cessere, & ingenti ruina
Sponte sua, patuere muri.


ANIMADVERSIO MATVRESCENS.

Non gladio aut numero, non vi, sed numinis alti
Consiliis certis vincere magna datur.



DEO VLTORI IVSTO. 8.

PH



ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XIX.

DIFFERTA *rerum diuite copia*
Munita densis gentibus, arduo &
Vallata murorum reductu,
Regna cadunt pereuntq́ iniqua.
Collata quamuis consilia, & manus,
Et conuocatis fœdera regibus,
Armisq́ fulgentes iniquas
Munierint populi rapinas.
Solum potentis consilium Dei
Exors refringi, permanet & quibus
Audita præmonstrant vocantis
Dicta viam intrepidè obsecutis.
Extructa multis oppida sumptibus,
Impleerat auro posteritas Chami,
Et gemma & ostri prænitentis
Velleribusq́, opibusq́ magnis:
Sed execrandis fraudibus ac dolis
Quæsita, fœdisq́ vsibus addita,
Proscripsit integri potestas
Iudicij dominosq́ pressit.
Hæc ipse nullis indigus arbiter
Nouo colono diuidit, & bonos
Commendat exercere in vsus,
Non propriæ referenda laudi.
Valde stupenti tam citò plurium
Cessisse regnorum imperium sibi:
Et ante quàm possent obiri
Cuncta oculis, potuisse vinci.

PERSEVERANTIÆ EXITVS.

Quis tam multa breui dicat potuisse domari
Tempore, nisi qui credidit & studuit?



DEO VERACI POTENTI. 8.

PH



ODE SAPPHICA. XX.


CONSITIS *læto ſtudioſe in agro*
Vitibus, magnam poſuiſſe curam
Principem cæli, referenda ad vſque
Tempora fructus
Scimus, ac doctos variis miniſtros
Artibus, certas operas colendo
Commodè addictos adiiſſe, multo
Non ſine ſumptu.
Hic apros arcet, genus & nocentum
Vocibus ferroq; abigit ferarum:
Hic fodit; ramos vitio fluentes
Præſecat alter.
Sarcit & ſepes alius reuulſas,
Nec tamen nulla ſubeunt pericla, at
Saucius duro cadit in labore
Sæpe colonus.
Cura ſed maior fuit expiandi:
Nam ſacerdotes variante ſæpe
Diſtinent cultu repetenda cunctis
Sacra diebus.
Horridi ne quid vitij precatos
Occupet, natum aut penitus medullas
Palmitum carpat, vitiétue peſtis
Extera vitem.
Cura quæ humanos renouata morbos
Arguens, ipſum vocat auferendæ
Compotem labis, dominum & ſalutis
Artificemq;.
Ergo vos noſtro generi fauete, &
Aurea ô cæli properate ſecla,
Victimis cunctis poſitura finem,
Seruitiisq;.

EXPECTATÆ EXPIATIONIS VMBRA.

Pontificem, quem prisca olim petiere supernum
Secula, nostra tenent, qui litet & placeat.



DEO CLEMENTI PLACABILI. 3.



ODE DICOLOS DISTROPHOS. XXI.

HVMANI *ingenij licet*
   Solers vafricies, callidus ac dolus,
Celet compositum nefas,
   Aut blandè impositis nominibus leuet,
Indulgens sceleri suo
   Asperso nitidis mille coloribus;
At quæ cor hominum tamen,
   Et renes penetrat, cunctaq; prouidens
Pertingit sapientia,
   Et sermo ignifero fulmine acutior,
Fallax terrigenas genus
   Arctis compedibus præligat, vt neque
Elabi valeat prius,
   Nec celare notam, nec fugere improbi.
Nam dum mens nimium sibi
   Ignoscit, vitiumq; alterius leue
Intentis oculis videt,
   Exemplo similis iudicij, malis
Succumbens propriis cadit.

Felix qui metuit vigil,
   Iras ne horribiles Numinis excitet;
Et vitam peragit piis
   Intentam studiis, & fidei & preci;
Certo proximus huic gradu,
   Qui contracta mali criminis expiat
Probra, & qui monitus bonis
   Vatum consiliis, cedere mollior,
Mentemq; & studium mali
   Permutans, facilem sollicitat Deum,
Offensamq; gemens grauem,
   Exclusus, patria suscipitur domo.



POENITENTIÆ VTILITAS.

Iure perit, qui cunctatur damnare priora
Crimina, & ad veniam sollicitare Deum.



DEO MISERICORDI-S.

P H





XXII.


RECTVM & merentem plurima nouimus
Laudis probatæ præmia iudicem,
Deuota quem produxit Anna
Et sterili recreauit aluo.
Illum exigentem iam spatia vltima,
Summi & solutum munere consulis,
Excelsa contentum paterno
Rama lare & tenuem recepit.
Pleno laboris perpetui seni,
Atque inquietos assiduo dies
Nil tædiosi turba vulgi
Excipit, arbitrióue fingit.
Non deserendæ (si saperet magis)
Sortis prioris, res populi hunc bonum
Postrema dimisit ministrum,
Et meminit, gemuitq; semper.
Cuius sacratæ quid valeant preces,
Sensit, marinis cum populis Dagon,
Quos terror æthra fulminantis
Dissoluit, domitosq; fregit.
Responsa quondam hic à puero bonus
Firmare certo numinis indice,
Exempla duratura, veris
Historiæ posuit libellis.

SIMPLICITAS MVNDO FASTIDITA.

Nil conscire sibi nudo, summisq́ peractis
Muneribus, magna hæc præmia, magnus honor.



REIPVB. MINISTRO INTEGERR. POS.



In tabulam Nathan Prophetæ.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS XXII.

ÆTAS *beato tempore ducitur,*
Lætosq́ firmat candida pax dies:
Cùm ducit, attentusq́ clauum
Verſat amans Moderator æqui.
Humana raro nequities tamen
(Cùm preſsit altæ frena potentiæ)
Ne temnat, excedatq́ metam
Propoſitam, ſibi temperauit.
Miranda iuſto munere regibus
Exempla paſtor fecerat inclytus;
Ni laudis immenſæ nitorem
Peſtiſera inficeret cupido.
Suſcepta fœdi pondera criminis,
Inflicta cæco & pectore vulnera
Obliuioſus, nec dolere
Præbet Amor, neque cogitare:
Donec veternum pectore ab intimo
Altum ſopito excuſsit amabili
Sermone Nathan, cui videre
Facta Deus dabat & futura.
Quis nunc decori conſilij potens?
Hunc cæcat amens gratia principem,
Illum ſed imprudente dicto
Aſperitas alienat audax.
Felix, carentem ſtultitia mala,
Rex, cui miniſtrum contigit aſſequi,
Et fraude ſemotum doloſa,
Numinis & ſtudio calentem.
Nathan ſuorum ſæcula temporum
Scripſit fideli certa volumine,
Quæcunque vel geſſere reges,
Vel populi ſubiere ducti.

CONSILIOR. INTEGRITAS.

Simplicitas, veri ſtudium, obſequiumq́; fidesq́;
Grata Deo, & cunctis commoda temporibus.



HONESTI DOCTORI GRAVISS. P.



In Dauidis effigiem.

CARMEN TRICOLON TETRASTROPHON. XXIIII.

DOCTVM *innocenti pectore perpeti*
Casus, labores, exilium, minas,
Iras, furores ac superba
Monstra, virum canimus domantem.
Decepta cui non fœdera centies
Regis, minacis & nimium feri,
Ostensa nec vulgi repulsa
Spemq́ue, animiq́ue fidem remutant.
Responsa magni & consilium Patris
Dum mente certus concipit integra,
Audax vel obiectos per ignes
Ire valet, superatq́ue victor.
Cælo minantis, gentibus & feri,
Horrenda vasti tempora Goliæ,
Assertor atque vltor suorum,
Strauit humi caput & recîdit.
Vincenda semper prælia, & hostibus
Antè inquietis impositum iugum,
Sperare iam primis in annis
Vrsa cadens dabat & leæna.
Incisa quondam marmore duplici
Præcepta verbis ac digitis Dei
Curauit, & morem sacrorum
Constituit, celebresq́ue ritus.
Idem efficacis munere barbyti
Victura dixit carmina, quæ Draco
Antiquus audire obstupescat,
Quæq́ue probet Deus & secundet.

DIVINÆ VERITATIS ARGVMENTVM.

Otia honesta Deo, cuncta atq; negotia summo
Quæ dicat, hæc multis vita beata modis.



REGI FORTISS. INTEGERR. PIENTISS. VATI DVLCISS. POS.



ODE DICOLOS DISTROPHOS. XXV.

QVOT QVOT prisca tulit, quotquot sperare futura
Rectores concesserit ætas,
Diuitiisq́ue, opibusq́ue animi, sensuq́ue profundo,
Tu Salomon præcesseris vnus.
Seu populis dare iura iuuet, seu ponere docta
Virtutis præcepta petendæ;
Seu cupias animo immensum penetrare per orbem,
Ingenio & numerare diserto
Naturæ variata modis spectacula miris,
Quæcumque aut radiantia cælum
Astra mouet, vel quæ duplici spatiantur in vnda
Plurima monstra, vel omniparens quæ
Multiplici profert vtero, atque alit vbere Tellus,
Cuncta tibi cessêre petenti.
Obstupuit, peregrina tuas conspexit vt artes
Gens acris non indiga sensus.
Victa tuis siluere etiam miracula templis
Quæ quondam celebrata sonabant.
Quâ patet oceanus, gentes tua carmina discunt,
Et recinunt iuuenesq́ue, senesq́ue,
Aeterniq́ue Dei nomen laudesq́ue perennes,
Sperandæ & monumenta salutis,
Cetera & arcanis quæ te meditante figuris
Excelsa Sion audiit arce.
O Rex, ô felix, nullumq́ue habiture priorem,
Vna tibi & proba si foret vxor.
Vltima nempe fuit vox te dignissima, vanum
Esse, Dei timor vnde recessit.

HVMANÆ SORTIS MENSVRA GEMINA.

Mortales homines & re & ſermone iuuare,
Perpetuum magni eſt principis officium.



PRINCIPI SAPIENTISS. PACE REIP. CONSTITVTA. POS.

P H

In tabulam Iſaiæ Prophetæ.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XXVI.

REGVM *progenies Iſacidum, breui*
Te magnum experiar dicere carmine.
An laudes tacitus diſsimulet pudor
Tantis pro meritis leues?
Quem iam præmonitum grandia dicere
Purgauit rutilis ſpiritus ignibus,
Laturum populo & principibus Dei
Dicta, & terribiles minas.
Prudens præteriti temporis, ac tui
Venturiq́ modos, & ſeriem canis,
Spectator veluti videris omnia
Depicta in ſuperûm domo.
Quis vatum propior cernere ab vltima,
Quicquid magnus habet mundus, origine,
Mores, hiſtorias, imperia vrbium,
Cuncta & ſæcula gentium?
Humano generi munera cælitus
Demittenda animis, tu bene nuntias:
Et mœſtis releuas corda laboribus,
Et mentes recreas graueis.
Quæ vis eloquij, quæ ingenij queat
Exæquare modos, & decus ac tui
Dicendo rapidum fluminis impetum,
Senſu & multiplices notas?
Vitæ certa tuo tempora nuntio
Rex prolata videt, ductaq́ longius,
Cùm Sol pollicitis additur arbiter
Decurſum relegens diem.
Defuncti celebri muneris exitu,
Contemptorq́ trucis ſupplicij innocens,
Palmam promeritus iudicio Dei,
Magnus diceris ac bonus.

PIETATIS INDEFESSVM STVDIVM.

Qui Christum non odit, amet responsa legatq́;
Amosidæ: is fiet nam pius & sapiens.



DIVINAR. RER. INDICI ADMIRABILI. P.



In tabulam Ieremiæ Scriptoris.

ODE SAPPHICA. XXVII.

SPIRITV *feruens iuuenis, potensq́;*
Robore immotæ ſuperare mentis
Fortium, priſcis memorata ab annis,
Corda virorum.
Cui nec ignauæ puero iuuentæ,
Nec ſibi tantum decus arroganti,
Creditur munus prius adparatum
Matris ab aluo.
Tu doces quantum valeat ſuperni
Efficax verbum imperij, fideles
Cùm ſubit mentes, penetratq́; in altam
Pectoris arcem.
Nam nec immites odiis tyranni,
Nec furor vulgi miſeris iniqui,
Nec tibi ignotæ expedienda gentes
Acta retardant,
Quin per inſanos hominum nocentum
Impetus, victor, penitusq́; compos
Deſtruas, vellas, moueas, reponas,
Aedificesq́;.
Creſcit in duro tibi vis labore,
Carceris diri tenebras lacusq́;
Et famem fortis ſuperas, minusq́;
Mortis amaræ.
Sic & obiectos penetrare monteis
Nouit, ac rupes, & adacta in altum
Turrium accenſus monumenta, clari
Fulminis ardor.
Integrum ac fortem celebremq́; dictis,
Quem ſua inuiſum malè preſſerat gens
Seruat, & cultu meliore Princeps
Suſcipit hoſtis.

HONESTÆ INDOLIS DECVRSVS INTEGERR.

Quid non ferre potest, quid non superare, supernis
Qui se permisit nutibus ac monitis?



LEGATO STRENVO FORTI, POS.



30

In tabulam Danielis Prophetæ & historici.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XXVIII.

EXTREMA *prisci sæcula temporis*
Videre vatem regibus omnium
Narrare præscriptam dierum
Historiam, seriemq́ longam:
Quas nec vagorum conscia siderum
Chaldæa, iactans dicere gentibus
Voluenda venturos per annos,
Explicuit, tetigítue prudens.
Huic prouidentis consilij Pater
Donauit orbis ponere mobilis
Decreta, mortalesq́ rerum
Atque hominum imperiiq́ metas.
Non ille, quamuis inferior modis,
Et priscíq Vatum lùminis vsibus,
Rerum vel impar mole scriptor,
Vel minor eloquio fideq́:
Seu iussa vates somnia detegat,
Seu visa rerum signaq́ præcinat,
Abstrusa seu doctor notarum
Perlegat euoluatq́ sensa.
Hunc flamma, cautes aptior vrere,
Sæua & Leonum pertimuit fames:
Concessit huic peior nocendo
Inuidia imperiumq́ præceps.
Miranda sacro scripta volumine
Auctor relinquit, postera quæ legat
Aetas & attendens laboret,
Ac memori probet ore Christus.

IN TEMPESTATE SVBSIDIVM.

Qui nouit metuitq́ Deum, discrimina nulla
Ille timet, nil non scitq́ probatq́ boni.



VATI FORTISS. TEMPERANTISS. POS.



In tabulam Esdræ scribæ.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS. XXIX.

PERSARVM *populo & regibus inclytis*
Dilectum Arsacides ingenium, tuoq́;
Optatum generi lumen, amabile
Cæloq́; & superis caput:
Esdra ô progenies pontificum sacra,
Expectatum auidè qui Phineæ vetus
Exemplum reuocas, moribus integris
Præstas & sapientia.
Redduntur Solymis te duce principes,
Longo quos Babylon carcere presserat:
Vasa & sacrilegûm quæ rapuit manus,
In sanctam referunt domum.
Quamuis difficilis non solitos viæ,
Ignauosq́; metu, atque hostibus improbis
Inuisos memori consilio viros
Ac dictis reficis bonis.
Dum deuota Deo te duce mœnia
Sionis subeunt, quâ populus frequens
Festiuo sociat plurima carmine
Templis dona recentibus:
Illic & vituli sanguine feruidi
Aras & Libani tingis odoribus:
Et vota incolumis persoluens tuæ
Genti concilias Deum.
Infamata malis secula nuptiis,
Admissumq́; nefas moribus expias,
Antiquasq́; iubes discere, & asseris
Leges, & patrium decus.

PROVIDENTIA INSTAVRATR.

Eſdra ſanctæ viæ doctor, populiq; magiſter,
Tu monſtras rectum quid valet officium.



SCRIBAE SAPIENTIS. PAT. PATRIAE.

PH

In effigiem D. Matthæi.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. XXX.

QVI modò inexpletos loculos, fiscumqúe capacem
Assiduusq́ tenaxq́ premebat;
Quiq́ abaco intentus, tabulisq́ vacabat auaris
Nummorum captator anhelus:
Quem cupidum variis aliena pecunia curis,
Insidiatoremq́ timebat,
Quem tenuere viæ, mercatus, flumina, portus,
Multiplicis quoque fœnoris ardor:
Hic subito magni mutatus voce magistri,
Discipulum comitemq́ vocantis,
Diuitiarum & compositi neglector acerui,
Iam libros foruлosq́ relinquit.
Gaudet sorte noua Leui, nuperq́ perosam
Pauperiem præfertq́, colitq́.
Nec socios, famulos, infestaq́ vincla propinquos,
Rumores vulgíue loquacis;
Nec quæcunque bonis obstant contraria votis,
Cogitat incipiensq́ volutat.
Nudus, inops, meliora petit compendia rerum,
Diuitias meditans potiores:
Quas nec tempus edax, nec fraus, nec perdere possint
Inuidiæ commenta malignæ.
Edoctusq́ nouas rationum scribere formas,
Duratúra volumina complet:
Atque notas, numeros, damnosaq́ nomina delens,
Gesta Dei patresq́ reponit:
Exemplo scriptisq́ probans quàm splendida Iesu
Gratia sit virtusqúe docentis.

DIVINA VOCATIO.

Noctes atq; dies dictata legenda, nec vllo
Tempore non nobis commoda scripta vides.



EVANGELII TESTI FIDELI. P.

PH

In effigiem Marci Euangelistæ.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS XXXI.

ET TE, *Marce pater, carminis ac lyræ*
Laudes perpetuis temporibus decent,
Quas Nilo resonent mœnia proxima,
Illustris Macedûm labor.
Et quas multiuagis littoribus mare
Exultans referat, qua lauat, aut secat
Quicquid tergeminis Lamecides soli
Natis dispo suit pater.
Nam nec te assiduis culta laboribus
Terret discipulum relligio recens,
Nec lassat comitem casibus aut viæ,
Aut ponti senior Cephas.
Tu Christi gregibus credita munia
Pascendis, studio perficis arduo:
Aegyptumq; colis, iactaq; semina,
Quæ seuit Petrus, irrigas.
Quin & tu exiguo magna volumine
Arcani reseras munera nuntij,
Atque vnus propriis temporibus breuem
Aptas principio notam.


SAPIENTIÆ COMPENDIVM.

Parue liber, quid tu doceas, non percipit omnis
Mundus: at id mites percipiunt animi.



PH

CHRISTIANAE VIRTVTIS OBSERVATORI. P.



34

In effigiem D. Lucæ.

ODE SAPPHICA. XXXII.

QVI salutari recreabat arte
Membra languenti vitiata morbo,
Nunc recurandæ meliora menti
Munia tractat.
Namque vbi magni monitis magistri
Doctus, humanæ didicit ruinæ
Tempora, & causam, & reparantis æuum
Vimque modosque;
Nouit & certo propius periclo
Quid mali Christus releuare morbi
Posset: exultans animum supernas
Vertit ad artes.
Ille inaccesso repetens ab ortu
Gesta mirandi genus atque Christi
Scribit, & quantum renouarit almus
Spiritus orbem.
Additus Paulo socius ministro,
Et comes fidus pelagi ac viarum
Subleuat grato officio labores,
Testis & index.


LVX EXPEDITA.

Vsus erit magnæ mentis linguæq; disertæ
Optimus, in sacros incubuisse libros.



VERITATIS EXPOSITORI DISERTO. P.

PH



In effigiem D. Iohannis Euangelistæ.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. XXXIII.

QVIS te mente noua potens
In cælum iuuenem spiritus arripit,
Plenum numine viuido?
Vt mundo referas progeniem Dei,
Cælatam patribus prius,
Obscuróve adeò nomine cognitam.
Namque & te puerum nouis
Annis ingenio nouimus haud propè
Tantis muneribus parem.
Non humana tibi discipulo dedit
Ars vel scire, vel eloqui,
Quæ nullis emere aut diuitiis queas,
Aut longo studio sequi:
Quamquam Socraticos admoueas libros,
Et quæ porticus inclyta
Arguto repetit dicta volumine.
At te non hominum reor,
Sed magni monitum consiliis patris,
Percurrisse poli vias,
Arcana & docili credita pectore,
Quæqúe orbis stupeat pauens,
Excepisse nouis dicere vocibus:
Dum te testibus è tribus
Dilectum penitus præcipuum parat.
Qui ventis tumido & mari
Viua voce potens imperat, efficax
Morbos pellere, & inferis
Excepisse hominum de tenebris genus.
Ille & te sibi conscium
Quàm magna efficere, & quæ valeat pati,
Iunctum sanguine deligit.
Te matri moriens substituit suæ,
Charo vt nomine particeps,
Commissi foueas officij vicem.



ABSTRVSA SAPIENTIA.

Quod legis, haud paruũ est, superat terrãq; polũq;.
Si petis hoc, dabitur nosse, sed exue te.



ARCANOR. INDICI PENITISS. P.

PH



In tabulam nuntiationis Zachariæ factæ.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XXXIIII.

DICTVM *ex ſecundis alloquiis Dei*
Tempus nouandi fœderis adfore,
Anni recurrentes tulerunt
Secla viris adamata iuſtis.
Aetatis almæ principium bonum
Legatus alto detulit æthere
Demiſſus, aſſueſcenſq́ terris
Seſe hominum facilemq́ præbens.
Aris ſacerdos thura calentibus
De more pura dum prece conſecrat,
Mortale nil præ ſe ferentem
Vultu habituq́ virum tuetur.
Hic abnuenti credere iam ſeni
Prolem paratam nuntiat, & nouum
Vxoris annoſæ tumorem,
Quem populi videant ſtupentes.
Ignara luxus, criminis & mali,
Infantis aluum pectora creſcere
Prædicit, & primis ab annis
Mentis opus meditata magnum.
Præſentis amplo munere ſpiritus
Hic ſepta certæ ſollicitus viæ,
Turbata curator probandis
Partibus & ſtudiis reponet.
Qua vita poßit, quaq́ peti ſalus,
Admiſſus vltro qua veniat Deus:
Nec ſpernet hic vates colonum,
Nec metuet fera ſceptra regum.
Hæc in reductis quæ videt abditis
Flamen, moratus plus ſolito, nequit
Cùm prodit, admirante turba,
Prodere, nec potis eſt negare.

FELICIS SECVLI INITIA.

Quid deceat, quantũ expediat, quo tẽpore nunquã
Delige: permittas vt probet ipse Deus.



DEO CONSVLI PERP. SAPIENTISS. S.



PH

In tabulam annuntiationis.

Ode sapphica. XXXV.

V I R G O, *quam magni moderator orbis*
Excipit charam, penitusq́ raris
Instruit donis, propriam sibiq́
Deligit almus.
Omnibus, salue, numeris beata,
Nam tui proles vteri supernis
Viribus præstans misero salutem
Proferet orbi.
Vnus ex certis superûm ministris,
Hæc Galilææ retulit puellæ,
Cui parem nullis habuêre mundi
Tempora seclis.
Illa se tantis referens minorem
Laudibus, causam stupet, atque supplex
Postulat magni veneranda verbi ar-
cana doceri.
Atque vbi summi didicit parentis
Mentem, & occultas operantis almi
Spiritus vires, seriem, modosq́
Audiit ardens,
Nil moror, dixit, Domine ô colendum
Gentibus nomen, tibi me tuisq́
Protinus certam tenuisse dictis
Annue felix.

RER. NOVANDAR. EXEMP.

Quis sic Virgo Deum propriũ tibi, sicq; benignum
Præstitit? eximia in simplicitate fides.



DEO ELECTORI SACR.

PH

In tabulam visitationis Elisabeth.

Ode tricolos tetrastrophos. XXXVI.

VT *vultus roseæ virginis aureos*
Vxor Leuitici Pontificis videt,
Segni cuius in aluo
Vatum flos latet abditus:
Vires ætherei pectore flaminis,
Persentit placidis vocibus excita,
Pacemq; hospitis almæ
Gratis laudibus excipit.
Quæ tam fausta mihi munera numinis
Vltro, non meritis hospitiis Dei
Adduxere parentem,
Dignam cælicolûm domo?
Ergo sacra tuam diua modestiam
Auget tanta etiam gloria? cui scio
Nullam in matribus esse,
Nullam in virginibus parem.
Nempe immensa Dei pignora talibus
Consistunt potius sedibus, inuidas
Auersata potentiam,
Magnatumqúe superbias.
Nam quòd tu facili pondere perferas,
Quem nec sustineant sidera, nec queant
Percepisse patenti
Mundi mœnia cardine;
Effecit vacuum fastibus & dolo,
Contemnénsque sui pectus, & ignea
Semper docta, superno
Consentire fides Patri.
Agnoscunt vtero quem foueas tuo,
Testanturqúe nouis vocibus omnia,
Valles, flumina, syluæ
Quocunque extuleris pedem.
Quin ipse officij muneribus tui
Gratus lætitiam personuit piam
Aluo quem gero fœtus,
Et mentem cumulat mihi.

PIETATIS CONCORDIA.

Gaudia, diuitiasq́; Dei communia multis
Eſſe cupit, quiſquis numinis inſtar habet.



FOEMINAR. SANCTISSIMAR. P.

PH

In tabulam Iohannis Baptistæ.

CARMEN DICOLON TETRASTROPHON. XXXVII.

ASTRVM *nascitur insito*
Fulgens lumine, quem Deus
Solis paciferi indicem
Terris præstitit almus.
Hunc in montibus arduis
Exangui in senio parens,
Mirandis puerum & modis,
Mirando edidit ortu.
Salutis ferat vt nouæ
Læto tempore nuntium,
Et testis bona gratiæ
Magnæ sæcula monstrat.
Vos quæ diligitis Deum
Matres, vos quoque virgines,
Infanti properè nouo
Laudum nectite serta.
Nec componite mollius,
Quamuis membra tenerrima,
Assuescat, sinite, aspero
Iam nunc vita labori.

AVRORA DIEI NVNTIA.

Dona Deus, quanto ſoleat ſplendore parare,
Si quiſquàm obſeruet tempora, teſtis erit.



DEO PROSPECTORI SAC.

PH

In tabellam natalis Iesu.

NATVRÆ HVMANÆ NÆNIA. XXXVIII.

VIRGINEO *ſplendens infans vt prodiit aluo,*
Atque illæſa dedit templa pudicitiæ:
Quæ iam vteri intacti ſtupuit NATVRA *tumorem,*
Nunc pauet inſolitum læta puerperium.
Atque nouum mirata genus, variis quoque gaudens,
Blandidulos fertur concinuiſſe modos.
Nulla mihi in te iura puer, quòd gigneris, aut quòd
Naſceris, at meus es quòd puer & tener es.
Ergo me ſuperas, ſine me qui naſceris infans.
Quòd ſi me ſuperas, es puer ergo Deus.
O puer & certè Deus, ô mihi iungeris, vt te
Partibus excipiam, muneribusq́; meis.
O Deus, & verè puer, ô tibi iungor, vt aucta
Amplius ipſa tuo numine perficiar.
Accipies ex me curam puer, atque labores,
Mortis onus (tibi ſic quòd placet) accipies.
A te ego, ſed pacem Deus, accipiamq́; ſalutem,
Et poſſe æternæ rumpere vincla necis.


SOL IVSTITIÆ EXORIENS.

In tenebris fulgens lumen diuinaq; dona
Simplicitas cernit: non videt ambitio.



HVMANAE SORTIS SVSCEPTORI DEO HOMINI. 5.

PH



In tabulam circuncisi Iesu.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XXXIX.

QVIS te, sancte puer, flere doloribus
Maturis docuit? scilicet æthere
Descendisse iuuabat,
Vt discas gemitus nouos?

Sed tu de patriis sedibus omnium
Spectator fueras, quos patitur genus
Nostrum sidera subter
Aerumnæ miseros modos.

Ergo sponte venis conscius, & cupis
Riuos purpurei fundere sanguinis,
Non vt ciuibus æthræ
Nomen connumeres tuum.

(Nam tu perpetui regna tenes Dei:)
Ast vt propositis legibus audiens,
Serui munere functus
Adscribas homines polo.

Fies perpetuis ex humili loco
(Quem tu sponte subis) laudibus altior
Cælo, terraq́; nomen
Infernusq́; tremet tuum.


CHARITAS NIHIL RECVSANS.

Quæ tu hominum puro sancturus fœdera cordi es,
Hæc in carne tua commemoranda subis.



PRINCIPI SVMM. PRO REIP. LIBERTATE SERVIENTI. S.

PH



ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XL.

VT *Pisghæ in altis ætherei iugis,*
Candentis aut de culmine Libani
Surgentis auroræ salubris
Conspicitur prior vsque fulgor;
At quisquis errat vallibus infimis,
Caliginosis nubibus obsitus;
Hic nocte in atra nescit amens
Purpurei radios diei:
Sic dum Tyrannum cum populo leui
Exercet amentem ambitio impia,
Præsentis aduentum salutis
Non Solymæ malè cæca sentit.
Sed qui remotos Persidos incolit
Parthosque tractus, hic alienior
Splendoris exortum sereni
Prospicit, & veniens adorat.
Ostensus astri lætior aurei
Fulgor, non antè stellifero in polo
Conspectus ignis, innouandi
Auspicium referebat orbis.
Ergo peractis iam spatiis viæ,
Contingit hospes mœnia nuntius,
Qui dicat aduenisse regem,
Gentibus & populis colendum.
Quem mox repertum lætior & Magus
Miratus, vltra quàm soleat puer
Mortalis, ostendisse sanctum
Vultum oculis animoque cernit.
Hinc prouoluto pectore & oscula
Infantis addens tum pedibus noui,
Testatus aduenisse numen,
Munere tergemino salutat.

GENTIVM LVX.

Quæ colit, agnoſcitq́; Deum, ſapientia vera eſt.
Quem latet hoc, rudis eſt, quamlibet alta ſciat.



DEO IMMORT. HOMINI VERO REGI LIBERATORI. F.



In tabulam Iosephi in Ægyptum commigrantis.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. XLI.

DIC *mihi quò tenellam*
Virginem (nam virgineum conſpicio decorem)
Frigore ſæuiente,
Hoſpes inceſſu fugitiuum properante ducis?
Quod pueri decori
Nomen eſt? cur ſurripis hunc æthereo parenti?
Namque tuum puellum
Eſſe mortali genere progenitum refutant
Digna Deo tonante
Ora maieſtasq́; oculis in teneris renidens.
Quam nemus & ſilentes
Auditam vocem venerantur, capiuntq́; ſyluæ,
Attonitumq́; flumen
Siſtit vndas præcipites blandiſono ſuſurro.
Vera rogas; perennis
Eſt Dei natus puer; intactam habet is parentem
Virginem: ego huic vt illi
Traditus cuſtos monitis aligeri miniſtri
Mœnibus è cruentis
Pignus en ſacrum abripio, ne violet ferocis
Inuida vis tyranni,
Ad Phari abiunctas properando procul exul oras:
Pignore quo ſalutem
Sperat humanum genus, & quo reparanda primi
Damna parentis, & quæ
Dona nobis Numen erat pollicitum benignè.

DIVINA TVTELA.

Præsidium in mediis Deus inuenit hostibus huic qui
Sese habet; à patria sit licet exul humo.



PRINCIPI OPT. PRO SVIS EXVLANTI. S.

PH



In tabulam Iesu in templo reperti.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XLII.

DVM virgo casti sollicitis viri
Adiuta curis, quærere filium
Desideratum condolenti
Voce rogans loca cuncta lustrat:

Fulgente solis lumine tertij,
Templi in reductis ædibus inuenit
Inter senum eruditiorum
Non tacitum puerum cathedras.

Confusa circum turba stupentium,
Responsa fixis combibit auribus,
Mirata maturum loquentis
Consilium ingeniumq; princeps.

Quæ tanta vis, quid pectore numinis
Cælestis, aiunt, in tenero latet?
Quis verba deuoluens diserta
Spiritus ore mouet tenello?

Miranda certè audiuimus omnia,
Adhuc nec ipsis nota Prioribus.
Quid? hunc putemus hæc magistro
Ex homine aut didicisse libris?

Atqui & profundis consiliis Dei
Præsens videtur nunc animo frui,
Inde & relatos explicare
Quos rogat insinuatq; sensus.

Aut illa cælo non nimium diu est
Mens venit, artus induit & nouos,
Vocesq; promens efficaces
Se puerumq;, Deumq; præbet.

Diuinæ ſtudium Sophiæ pulcherrima vitæ
Eſſe, puer, nobis munera, ſancte, probas.



DIVINITATI EMICANTI. 8.

PH



In tabulam Iohannis prædicantis.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XLIII.

VOCEM, *ſalutis quam fore nuntiam*
Dixêre priſcis temporibus pij
Vates, Iarden obſtupenti
Flumine percipit vſque primus:

Quando efficacis fulminibus ſoni
Commotus omnis contremuit locus,
Quacunque diſtinguunt iacentes
Aequora Gilghediuſqúe terras.

Hanc & colonus gentibus impiis
Vicina iungens prædia, combibit
Non aure ſurda, hanc ipſa Iudæ
Poſteritas, Solymûmq́ue ciues.

Deducta cælo tempora gratiæ,
Miſtas & altis pollicitus minas,
Mirantur omnes, ac loquentis
Vultum habitumq́ue hominis ſeuerum.

Namque is fidelis credita munera
Legatus, alti & conſilium Dei
Dum præco complet, nec potenteis
Suſpicit aut metuit tyrannos:

Oſtendit vnam & perpetuam ſibi
Curam, docendo ſiſtere deuios
Ad limen anguſtum ſalutis,
Atque ducem ceciniſſe certum.

Oblata non huic gloria commouet,
Non durus enſis propoſitum graue;
Id quippe monſtrabat ſeueræ
Mentis honosq́ue habitusq́ue vitæ.

LVCIS DIV. CORVSCATIO.

Certa reducendis animis pereuntibus atque
Clara via est, morum cum probitate fides.



SALVTIS NVNTIO GRAVIS S. P.



PH

In tabulam Christi in Iordane baptizati.

Ode dicolos tetrastrophos. XLIIII.

Quæ festa lux hæc, dicite montium
Syluæ? quid alto gaudia personant
Clamore rupes, quas imago
Percipit, ingeminatq; voces?
Quæ tanta præceps pennigerum genus
Exercet alis cura micantibus,
Cæli per oras atque acutis
Cantibus instrepitare cogit?
Iam gestientis lætitiæ decus
Quæ causa nuper proferat audio,
Trini quòd inspectanda terris
Numinis emicuit potestas.
Hic nam nitenti lumine spiritus
Delapsus alti culminibus poli,
Candentis aspectum columbæ
Præbuit, auricomumq; lumen.
Et vox ab æthra personuit patris
(Quam densa syluæ contremuit coma)
Audita, præsentemq; natum
Dicere, & hunc populis magistrum.
Hunc, quem neque alti conscia numinis
Natura nostrisq; vlterius modis
Virtus refulgens administrum
Esse hominum generi retardat.
Hic se minori subdidit hospiti
Amne abluendum, purus & innocens.
Nec ipse quamuis vsque compos,
Id quod erat, tamen efferebat.
Illum stupenti fluminis alueo
Gaudens Iarden suscipit, humidis
Complexus vlnis, & loquaci
Murmure concelebrans salutat.
Et quæ secundo perfluit agmine,
Sacrata denso membra volumine
Circundat hærens, & priorem
Vnda sequens premit inuidendo.

MODESTIÆ ORNAMENT.

Non decus ipſe ſuum iactat natus, pater ipſi
Adſcribit: vera hæc gloria, nulla prior.



CHRISTO DEI FILIO PRONVNCIATO. S.

P.H

In tabulam Tentationis.

ODE DICOLOS DISTROPHOS XLV.

SYLVIS *in mediis agmina cælitum*
Cernebam famulas adproperantium
Exercere vices lætaq́ floridis
Menſis fercula ponere.
Dumq́ ipſe inſoliti contremo muneris
Spectator ardens diſcere, maximæ
Cauſam lætitiæ, cuiq́ decus nouæ
Cœnæ præniteat, rogo.
Vnus pennigerûm de iuuenum choro,
Scitanti hæc alacri pectore reddidit,
Cui mox tota cohors per iuga montium
Blandis accinuit modis:
Hic iudex ſuperûm maximus excipit
Natum Nazaridos virginis, & ſuum,
Quem nunc tergeminis gloria frondibus
Victorem decorat ſacrum.
Hunc nec longa fames, teſqua nec aſpera
Monſtrorum horrificis denſa cubilibus,
Non horror gelidæ noctis amabili
Intentum alloquio ad patrem
Turbauit: ſed & hic ſuſtinuit volens
Vſque inuicto animo prælia, quæ ferox
Tentator ſolitis artibus, ac dolis
Audaci intulit impetu:
Qui partem ſuperûm traxerat inſolens
Fallaci ſtudio præcipui loci,
Cui primos homines ſeclaq́ poſtera
Vnus ſubdiderat dolus.
Nunc victus triplicis pondere prælij
Vertit terga gemens, armaq́ & omnibus
Poſthac diſcipulis expoſitas vias
Vincendi dolet improbus.

SCRIPTVRAR. VTILITAS.

Legitimè certare queas, & viceris hostem
Instructus verbis consiliisq; Dei.



CHRISTO DVCI INVICTISS. S.

PH

48

In tabellam ſigni à Chriſto in Cana editi.

Ode sapphica. XLVI.

Qvæ pater mundo poſuit recenti
Iura, ſacrati thalami deditq;
Iuncta concordi ſociare vitæ
Munia lege:
Illa præſenti patris ipſe natus
Numine antiſtes decorata, firmat,
Fauſtus & gratas epulas benigno
Comprobat vſu.
Sic & arcanis ſociare tædis
Gentis humanæ genus expetitum,
Et ſibi magnis emere cõiugandum
Dotibus ardet.
Poſſit vt noſtræ recreata gentis
Iuncta diuino ſoboles marito,
Splendidi ſedes habitare cæli
Regnaq; diuûm.
Prima miratrix Galilæa Canas
Obſtupet teſtis renouata rerum
Munera, & magnum probat eſſe Ieſum
Pectore numen.
Dum videt certas variare formas,
Iurat & priſci latices Noachi,
Fonte quas nuper vitreo fluenteis
Hauſerat vndas.

NATVRÆ INNOVANDÆ ARGVM.

Sordet quicquid habet mundus cum munere Christi
Collatum; nec iam quæ placuere valent.



CHRISTO CVRATORI BENIGNO, S.



G

In tabulam Christi prædicantis Euangelium.

ODE DICOLOS TETRASTROPHOS XLVII.

PRODVCTVM *populis de ſapientia*
Patris conſilium filius incipit
Enarrare, bonus dicere & algida
Dictis vrere pectora.
Nam qualis calido lumine ab ætheris
Alta ſede humiles ſol penetrat domos
Terrarum, variisq́ exagitat potens
Tentatas ſpecies modis;
Cùm plumbi & chalybis grandia ſemina
Concreſcunt validis acta vaporibus,
Sed ceræ faciles & glacies niuis
Decurſu fluido liquent:
Talis ſermo Dei mentibus inditus,
Obdurata premens æra ſuperbiæ,
Marcentes animos ſed faciles fouet
Vitæ munere proſpero.
Non cæca ambitio, non amor improbus
Rerum quas ſtudiis appetit vltimis
Vulgus, non animi luxuries capit
Sancti commoda nuntij:
Sed quos dura hominum ſollicitant mala,
Vel vitam puduit ducere turpibus
Infectam vitiis, vel timor obligat,
Cura & iuſtitiæ tenet.
Hi (quanquam exiguum) pectore viuido
Semen concipiunt quod cumulos creat,
Queis æterna parens horrea compleat,
Et diuûm exhilaret choros.

DIVINÆ DISCIPLIN. SCHOLA.

Quas fugitat mundus rerũ ſunt commoda tanta?
Sic eſt: ſed ſtultis non ſapit iſta ſeges.



SIMPLICIVM DOCTORI OPT. S.

PH

In tabulam Christi Apostolos legantis.

ODE XLVIII.

SÆCLORVM *veterum, præscripto ex ordine, finem*
Certa Deo voluentibus annis
Tempora protulerant; hominum quoque magna per orbem
Strata seges matura iacebat;
Agricolam iam cana suum cùm terra vocaret,
Et falcem expectaret acutam,
Redderet ut fœtas seruandi farris aristas,
Sed culmos quoque rursus inanes:
Tunc Domini messis natus, summusque minister
Orbis imago auctorque nouandi,
Selectorum operi tanto, duodena virorum
Ora tuens, sic fatur amicè.
O mihi præchari comites, sociique laborum
Arcanique sacraria magni,
Non vos parua manent discrimina, vertere missos
Terrarum moremque modumque.
Queis maris horrisoni fluctus, ac dura viarum
Sunt adeunda pericula sæpè.
Non vt Erythreas gemmas, ostrumque superbum,
Numorúmve paretis aceruos;
Sed magis vt nudi atque inopes, patriaque remoti,
Vexati, instabilesque, vagique.
Vulpibus infestisque, lupisque rapacibus, agni
Imbelles, blandæque columbæ
Sitis, lux tenebris, nimiumque furentibus ægris
Fomentum medicique fideles.
Ite igitur fortes, & me duce & auspice magni
Consilium curate parentis.
Aethereas sperate & opes, æternaque sedis
Sceptra meæ, & conuiuia mensæ.


LÆTISSIMA ORBI LEGATIO.

Fortia debilibus ſuperantur, maxima paruis:
Viderat hoc demens mundus, & obſtupuit.



MAGNI CONSILII NVNTIO SVMMO. S.

PH



In tabulam Chriſti turbas paſcentis.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. XLIX.

EXPLETA *menſis turba capacibus*
Non antè viſo munere ferculi,
Cognouit æterni magiſtri
Quantum agitet, valeatq́; cura:

Cùm panis atri, & quæ trimulus puer
Perferre poßit pondera piſcium,
Creuiſſe Chriſti partientis
In manibus ſtupefacta cernit.

Cibos an ipſos diuidat, an magis
Maſſæ imparatam materiem creet,
Cognoſcere haud queunt miniſtri,
Ferre onera, & renouare laßi.

Seruanda cœnæ quæ fuerant ſuper
Dum fruſtra iußi expendere, colligunt;
Mirantur impenſam negantes,
Compoſitum cumulum caniſtris.

Et iam palato multiplici ſatur
Conuiua, iurat nil ſibi dulcius
Sediſſe tranſactos per annos,
Nil melius propriuſve vitæ.

Quis non malarum ſtulta cupidinum
Deponit ardens & ſtudia, & graues
Curas habendi, ſi benigni
Verba auido bibit ore Chriſti?

PROVIDENTIA CERTISSIMA.

Si potiora Deum poſcas, nihil indigeas: ſi
Deteriora petas, nil ſatis eſſe puta.



HVMANAE INFIRMITATIS CVRATOR. S.

P H

In tabulam Lazari ab inferis reuocati.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. L.

VIRTVTIS *altæ publicum ſpectaculum*
Chriſtus daturus iam ſuis;
Docturus & quantum ardeat mortalibus
Afferre vitam perditis:
Vinci ſuum abſens pertulit charum caput
Lethi ſopore Lazarum,
Dum notus eſſet gentibus caſus viri,
Signum futuri viuidum.
Cui membra tabo rancido fœdauerat
Quartus ſepulta Lucifer,
Hic efficaci percitus Chriſti ſono,
Quem mors & inferi expauent,
Surrexit atro de ſepulchri carcere,
Lethi remiſsis vinculis:
Teſtatus ardens ferre quid poſsit fides,
Quid donet & nato Deus.
Nato & ſalutis nuntio, quem temporum
Proſpectat ordo principem,
Ipſi quoque orbi iam ſeneſcenti malis
Lætos tributurum dies.

FIDEI MOMENTVM.

Non moritur quem Christus amat, potiusq́; quiescit.
Ille citò, quem vult, euigilare facit.



VITAE AVCTORI EFFICACISS. SAC.

PH

In tabulam Christi regis Ierosolymæ declarati.

ODE SAPPHICA. LI.


PVLCHRIOR *nunquam, licet vsque fastos*
Iebusum à priscis repetas colonis,
Sol prius luxit Solymûm beatæ aut
Gratior vrbi;
Quàm peroptatis vbi tempus annis
Obtulit magni faciem colendam
Regis, arcano cecinere qualem
Carmine vates.
Cui dedit nutu pater efficaci
Pellere infandæ mala damna fraudis,
Et nouæ ingrato retulisse mundo
Sæcula vitæ.
Hunc vt exceptum populi valerent
Cernere, & certis celebrare signis,
Vexit insuetus iuga ferre lentæ
Pullus asellæ
Principem, non vt quibus intumenti
Folle ventosum vitiosa pectus
Vrget, infestis populo, cupidoq;
Ambitioq;.
His potestatum specie superba
Arrogat laudes metus atque honores,
Multa mentitis malè blandientis
Munera linguæ.
Huic sed æternos meruere plausus
Dona doctrinæ memorata diuæ,
Atque morosis medicina præsens
Addita morbis.
Vidimus castos pueros canoro, ac
Virgines Regem coluisse versu,
Et salutarem meminisse, & alto
Aethere missum.
Quin & insonteis oleæ virentis
Pacis auctori pia turba frondes
Spargit, & vestes properatq;, auetq;
Sternere eunti.
Nam probat sanctum potiusq; dignum
Euehi iunctis humeris colentum,
Quem Deus terris iubet esse regem,
Pontificemq;.

SALVTIS PROPOSITIO.

Christum sponte tibi venientem suscipe mitem.
Si non suscipias, experière grauem.



REGI LEGITIMO DECLARATO. S.



In tabulam cœnæ Domini.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LII.

EXPECTATA *diu, ſibi*
Atque optata noui ex orbis origine
Cœnæ ad fercula myſticæ
Conuiuas homines ſollicitat Deus;
Quales agmina cælitum,
Si poßint, epulas inuideant viris,
Admirata minoribus
Grato munifici conſilio patris
Tantum terrigenis decus
Et deducta polo munera porrigi.
Nam quæ ritibus annuis
Abrami ſoboles feſta peregerant,
Conteſtata iugum graue, &
Depulſos dominos, & miſerum metum,
Euaſiq́ maris diem,
Extinctasq́ minas fluctibus impias;
Veris nunc eadem modis
Inſtaurata nouat, qui patris integrum
Conſors imperium tenet,
Qui vitam proprio numine ſufficit,
Defectumq́ animat genus.
Hic ſeſe gregibus dum eſurientium,
Arcani ſpecie latens
Panis, ſuppeditat; dumq́ rubentia
Vini pocula ſanguine,
Occulto at proprio præbet auentibus,
Quicquid mentibus improbus
Ac membris coluber ſubdiderat mali,
Et quam ſcire malum petens,
Mater perniciem fuderat improbo
Fataliq́ nepotibus
Pomo, viſceribus corrigit intimis;
Et lethi remouet iugum,
Et dat poſſe bonis perpetuis frui.

CELATVM SECVLIS ARCANVM.

Has epulas, queis vita Dei, queis munera Christi
Conciliantur, ames, si sapis; ut capias.



DEI BENIGNITATI ADMIRANDAE. S.

PH



In tabulam Christi ad victimam vltrò oblati.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. LIII.

QVI solus omnes immeritus luat
Noxas parentum, & crimina posterûm,
Nunc agnus orbi postulatus,
Ipse animam iugulumq; præbet.
Namque antè priscis ritibus hostiæ,
Quæcunque cultros imbuerant sacros,
Nec crimen expedire nostrum,
Nec poterant mala dimouere:
Non si secundo à sideribus die
Armenta, quotquot vel pecudes tulit
Tellus, ad aras obtulisses
Ignibus aßiduis calentes.
Nam quæ sub alti cardinibus poli
Humana præstet munia quadrupes?
Vel mentis exæquet valorem,
Vel pretio solidante ponat?
Vras auaris ignibus omnia
Armenta semper, non veteris tamen
Consumis vnà & membra Adami,
Semina vel malè nata tollis.
Quid quòd nec illis viuida spiritus
Concessa vis est, qua valeant semel
Extincta respirare in auras,
Atque nouam repetisse lucem?
Possent recepto munere quamlibet
Extare, & artos induerent nouas,
Non illa partes attulissent,
Aut animas rediuiua nostras.
Atqui vetustis debuit artubus
Occisus æquas pendere noxius
Pœnas, & exurgens probanda
Iustus homo rediisse vita.
Ergo efficaci munere duplici
Instructus agnus, quiq; valet mori;
Rursusq; viuens emicare,
Atque sibi sociare mundum;
Hic, (omne nostrum qui superat genus)
Firmat volentis consilium Dei,
Et sponte productus, nocentum
Facta hominum subit expianda.

PVBLICA VICTIMA.

Maxima mortalis qui ferret pondera culpæ
Asportanda, vnus Christus & Agnus erat.



SACERDOTI AETERNVM VNCTO. 8.

PH



In tabulam Chriſti in horto.

Ode dicolos tetraſtrophos. LIV.

Non *tam denſa bonus credere Gedeon*
Villis expoſuit vellera candidis,
Nocturno penitus rore madentia,
Queis tellus ſitit inuidens;
Nec tot ſicca iterum combibit area
Diffuſas nebulæ munere roſcidæ
Stillas, quæ domitos exigua manu
Hoſteis præmoneant duci.
Quam multis hominum criminibus tener
Agnus comprimitur, qui ſubit omnium
Culpas immodico pondere plurimas,
Humanumq́ refert genus.
Dum iuſti memores numinis expedit
Iras atque odium, dum veterem parat
Offenſam generis ſuſcipere, vt graueis
Pœnas iuſtitiæ luat.
Ille & iudicij conſcius ardui,
Et quantis voucat criminibus caput,
Quas explere petat vulneribus minas,
Horrens procidit & pauet.
Horret parte ſui prouidus altera,
Quæ nec nempe mali neſcia, nec boni,
Sed mens exuperat certa ſequi graue
Magni conſilium patris.
Hic dum preſſa hominum criminibus tremunt,
Et mentis properant imperium ſequi,
Permanant fluidis membra cruoribus,
Et ſudore madent truci.


PVBLICI DEBITI GRAVITAS.

Eheu corda graui nimium ſunt preſſa ſopore,
Pro quibus hîc orat Chriſtus & aduigilat.



HVMANAE MISERIAE SVSCEPTORI. S.

PH



H

In tabulam Iesu capti.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LV.

COECO *carcere proditæ*
Nocturnæ tenebræ præcipites eunt,
Terras quæ temerent magis,
Et mergant veteri cuncta voragine,
Quam cum procubitu vago
Celabant pelagi confluuium rudis.
Hinc tantum sceleris feri,
Infandumq; nefas concipiunt vaga
Noctis tartareæ agmina,
Vrsorum catuli & germina vulpium,
Insidumq; genus lupi:
Dum stricta iniiciunt vincula perditi
Miti agno ætherei patris,
Quem diris lacerant rictibus, & trahunt,
Intentum penitus mori,
Et prodesse etiam carnifici suo,
Illum si tamen efficax
Permutare notet non refugum cruor.

IMPROBITATIS PERMISSÆ IMPOTENTIA.

Traditur à seruo dominus, cui non grauis est tam
Quòd prodit, quàm quòd proditor ipse perit.



AGNO SALVTARI MITISS. S.

PH



In tabulam Iesu in consilio damnati.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LVI.

EHEV *scelestis cæca mens mortalibus*
Et culpa dira consciis!
Quid non nefandi concipit præceps mali,
Quid non scelesti perpetrat?
Simul tenebris obuoluta turbidis
Veri refugit lumina,
Et blandienti capta sorte commodi
Præsentis in præceps ruit.
Namq́ & senator & sacerdos altior,
Et scriba legumq́ arbiter,
Errante plebe doctor insolentior
Sese suosq́ perdidit,
Dum missa dono Patris almi pignora,
Agit ream sobolem Dei,
Salutis ampla qui ferebat pontifex
Promissa rebus efficax.
Hunc parricidis orta turba viperis,
Illudit indignis modis,
Postquam furentis voce turpi flaminis,
Damnauit amens concio.
Et ora Soli percolenda fulgido
Vesana deturbat manus:
Ac verba ridens miscet insolentia,
Quæ dictat infernus furor.

VIRTVS MVNDO INVISA.

Contemnit damnatq́ suam malè sana salutem
Turba hominũ postquàm decidit in tenebras.



INNOCENTI PRO SCELERATIS DEVOTO. S. PH



In tabulam Christi ad Pilatum ducti.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LVII.

QVONAM *scelesta turba non dignis virum*
Vinclis reuinctum proripis?
Nam nec cicutæ temperator impius,
Nec cæde famosus latro,
Nec qui parentis ædibus flammas tulit,
Tantos furores excipit.
Vix ista sæua fert tumultus inuidi
Exempla, qui negat Deum:
Vel qui deorum abominanda numina
Ausis prophanis consecrat.
Qui sancta legis abrogat volumina,
His debet excludi modis.
Ast hic salutis certus almæ nuntius,
Amica mens mortalibus,
Hic expetitus antè cunctis sæculis,
Promissus atque vatibus;
Matura missus nunc referre tempora,
Fructusq; dignos poscere;
Hæres colonis execratus improbis
Fundo è paterno pellitur:
Fundo probatis quem noua arte vitibus
Diuina plantarat manus:
Heu peruicacis fraude gentis, & dolo
Exclusus extra vineam,
Vrsis premendus, & feris leonibus
Dilancinandus traditur.
Sed horret atrox gentis impiæ nefas,
Fera ipsa, & cogitur tamen.
Inuita verbis cogitur minacibus
Sæuire in agnum innoxium.

FELICITAS REPVLSA.

Vtrique infamis populo cùm factus Iesus,
Curabat populi tunc res vtriusque tamen.



AGNO A LVPIS LEONI OBIECTO. 5.

PH

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. LVIII.

IVSTVM *& suorum fraudibus inuidis*
In mortis actum crimen vt audiit,
Non prætor audebat nefando
Iudicio temerare Iesum.
Exlex & atris noctibus vndiq;
Septus Tyrannus, fas tamen inspicit
Et iura perpendit profanus
Pontificum melius cathedris.
Ille innocentem perdere transferens,
Declinat acti iudicium rei,
Causamq; deuoluit tyranno
Quem Galilûm populi timebant.
Hunc nec paternæ exempla ferociæ,
Nec tuta nunquam cura tyrannidis,
Aut nomen auditum vocati
Regis agunt, properare fraudem:
Postquam superbo iusserat ambitu,
Et curiosa mente poposcerat
Spectator, ac vellet probare
Signa modis celebrata miris.
Sed Christus altæ sceptra potentiæ
Vultu seuero despiciens, tacet,
Et vana poscentem silendo
Improbat, imperiumq; temnit.
Ergo Latini ad iura Palatij
Fastidientis munere principis,
Et veste derisus nitenti
Opprobrium tulit ipse nostrum.
Probrisq; fœdis pressus, & arduo
Sensu dolorum, non tamen immemor
Prodesse, iungit dissidentes
Numine conciliatq; reges.

INNOCENTIA SPECTATISS.

Quot testes habet ex populis innoxius agnus,
Ingratum mundum tot premet arbitriis.



HVMANAE CAVSAE PROCVRATORI FORTISS. S.



In tabulam Iesu flagellati.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LIX.

QVID sanctum Iesu corpus atque innoxios
Artus aduris carnifex?
Quid membra, quarto puriora sidere,
Plagis cruentis inficis?
Non tantus vnquam stirpis incensæ fragor
Auditur altis montibus,
Nec deuolutus in subiecta marmora
Imber, ferit frequentius.
In me furentem verte si sapis manum,
Et terga cæde noxia.
Namque ipse lene legis excußi iugum,
Iussa ipse perfregi Dei:
Heu quanta dignus vincla perferre & neces
Et flagra dura perpeti.
Sed istud, atro quod liuore pernotas
Maiora laturum, caput
(Cui cuncta magni turba præfulgens poli
Addicta paret nutibus,)
Contracta noxæ crimina expiat meæ,
Irasq́ue placat vindices.
Vides vt alto perferat silentio
Quæ sæuus addis verbera?
Atqui efficaci deprecatur is tuas
Measq́ue pœnas vulnere.

Vritur ardenti tortoris verbere Christus,
Quem magis humani torret amor generis.



IGNOMINIAE PVBLICAE SVSCEPTORI. S.



ODE DICOLOS DISTROPHOS. LX.

QVÆ peſtilentis, heu, furoris pocula
Deprompta ab inferno lacu,
Malo remixta viperarum ſanguine,
Spumaq; tabida aſpidis,
Incontinente fauce traxit inuidum
Vulgus ferente Belſebo?
Quid non furentis cæca turba conſili
Admittit, atque criminum?
En cuius altæ ſummæ laudis arbitri
Credatur vſque calculis?
Quisnam repente vos probata compulit
Mutare teſtimonio?
Aut quæ nouandi ſpes amata commodi
Veſtris inarſit mentibus?
Sic improbato regis almi numine
Optare turpe dedecus?
Optare culpam ſanguinis, nec omine ex-
cepiſſe poſteros graui?
Quem nuper amplis plauſibus ſuſceperat
Regem Deumq; creditum:
Quem de paterna ſede miſſum dixerat
Summæ ſalutis principem,
Experta magnis efficacem fructibus,
Verbisq; veracem bonis;
Huic turba lymphis innatante cortice
Et vilis & leuis magis
Audet latronem prætuliſſe perfidum,
Agnumq; poſtponit lupo.
Et non profanæ plebis heu ſententiam
Mens docta cælitus oderit?

HVMANÆ MENTIS LEVITAS.

O mens læua hominum quæ pignora certa salutis
Postponis damno dedecoriq; tuo.



HAEREDI AETERNO A SERVIS EXPLOSO. S.

PH

In tabulam Christi producti.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LXI.

QVEM *maria & venti metuunt, quem lucida cæli*
Agmina perpetuo venerantur,
Quem vitæ pacisq; almæ lucisq; beatæ
Pontificem fontemq; perennem
Credimus, & natura probat responsaq; prisca,
Atque index certißimus vsus:
Idem hominum scelere infami atque immanibus ausis
Dum tenebræ viguêre malignæ,
Heu facinus, patria depulsus ab æde, profanis
Obiectusq; leonibus, ecce
Funesto ligno grauis opprobriisq; proteruæ
Linguæ, cuncta venena vomentis,
Ducitur ingrato populo inuisusq;, sacerq;,
Infamis quoque fabula vulgo,
Obscurisq; genis colapho effusoq; cruore, &
Sumptis toto corpore plagis,
Vultu habituq; omni nimium mutatus ab illo,
Certatim quem plausibus amplis
Legitimè nuper Regem auctoremq; salutis,
Vrbs Solymûm venerata canebat.
Nunc adeo veluti cunctis infensus, ab omni
Læditur & perfert probra turba,
Scilicet à cunctis caput hoc damnabile noxis
Mundus, iam video, dabat omnis,
Deuotam & vario multorum crimine cælum
Hanc animam statuitq; petitq;.
Ac purus natura Agnus delicta suorum
Nunc subit, & luiturus acerbo
Vulnere, personam tenet execrabilis hirci
Damnatus quem deuouet orbis.

LVX INTER TENEBRAS.

Artibus atque armis in te quæ mouerat hoſtis
Victus ſtultitiam ſentiet ille ſuam.



INNOCENTIAE PRO NOCENTIB. TRADITAE. 9.

PH



In tabulam Chriſti crucifixi.

Ode tricolos tetraſtrophos. LXII.

Certum recenti ex orbis origine
Firmatum & alta mente negotium;
Deliberata morte magnus
Explicat ac peragit Sacerdos.
Amiſſa vitæ munera perfido
Primi parentis crimine degener
Natura cunctis haut valebat
Artibus aut opibus referre:
Vitæ perennis lux niſi feruida
Lethi vagantis per miſerum genus
Intraret horrendas tenebras,
Et caperet premeretq́ victrix.
Auctor malorum tunc veterum draco,
Hami latentis faucibus additos
Perſenſit vncos, dum paratam
Aggreditur temerator eſcam.
Ille & potentem iam malè prouidus
Prædam libenter mitteret, ac nimis
Luctatus intorſit maligna
Pectora conuolüitq́ tractus.
Suſpenſa lignum membra doloribus,
Atque effluenti ſanguine conficit,
Noſtram ſed attentus ſalutem
Cogitat is, tacitusq́ curat.
Donec probante hæc pignora numine
Suffecit vnam pro populo hoſtiam,
Iraſq́ ſedauit tremendas,
Atque poli patefecit arcem.

SACRIFICIVM SVMMVM.

Infamis suaueis fructus hæc sustinet arbos,
Quæ vitæ possunt commoda certa dare.



SACERDOTI MAXI. PRO POPV. LITANTI. S.



In tabulam Christi de cruce depositi.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. LXIII.

QVALEM *reuulsis frondibus æsculum,*
Quam sæua ventis bruma niualibus
Orbauit vmbroso nitore,
Terra parens doluit videndo:
Quam pòst remissis frigoribus breuis
Horæ recepto robore viuidam,
Ramosq; crescentem priores
Sperat auens bene prodituram;
Namque illa firmis indita stirpibus,
Vires tenaci cespite protulit,
Qua viua subiecti caloris
Vis penetrat, recreatq; terras:
Talem dolenti pectore, & intimis
Perculsa virgo visceribus, truci
Demissa ligno membra nati
Conspiciens, gemit, atque fulcit.
Quem culpa nostri sanguinis & nefas
Omni carentem crimine presserat,
Floremq; delectum parenti
Contuderat furiata turba:
Ast efficaci numine compotem
Vitæ valentem munera mortuis
Præbere membris, & remotam
Corporibus reuocare lucem,
Tantisper almus dum veniat dies,
Et cedat atris nubibus obsita
Nox illa defunctum labore
Certa fide genitrix manebat.

INIMICITIÆ COMPOSITÆ.

Cuncta, Deus dixit, trado tibi, quòd mihi seruum
Tute ad mortiferam gesseris vsque crucem.



INFEROR. EXPVGNATORI EXPOLIATOR. Q. FORTISS. S.

PH



In tabulam Sepulchri Epitaphium.

CARMEN ELEGIACVM. LXIIII.

MIRATVRA *cito rediuiuum surgere corpus,*
Marmorei silices antraq́ parua tenent.
Pignore deposito multum ó felicia saxa, at
Pignore reddendo saxa beata magis.
Membra fouete hominis, quibus est nil purius vsquam,
Membra extincta hominis, viuida membra Dei.
Neu tabem, neu vos turpeis metuatis odores,
His procul ista malis est aliena caro.
Iam quod erat nostræ culpæ, mors eluit; vltra
Mortem pro nobis debuit ille nihil.
Nunc sibi (namque potest) vitam propriam ipse reponet,
Perpetuo & nobis viuere posse dabit.
Compositas igitur saxum hoc testabitur iras,
Et renouata orbi fœdera amicitiæ.


IESV NAZARENO PRO MVNDI NOXIS OCCISO, REGNI CAELESTIS HOMINVM CAVSA ASSERTORI DEI FILIO VIVENTI, HOMINI MORTVO EFFICACISS. SEPVLCH. NOVVM AD TEMPVS BREVE. EX DIV. CONS. DESTINAT. EST.

HVMANI GENERIS DIVITIÆ.

Pressa labore graui pugnæ dum membra quiescunt,
Expoliat Barathrum Spiritus & tenebras.



PH



In tabulam Christi resurgentis.

ODE SAPPHICA. LXV.


IAM *nouo felix nitet orbis ortu,*
Clara festinat solito priores
Ianuas nato reserare, primæ
Nuntia lucis.
Cuncta sollennes variare lusus
Cernimus: dulci volucres Camœna
Personant syluas & amicta verno
Prata nitore.
Quæq; crudelem doluêre mortem
Nuper auctorisq; hominum, suiq;,
Sidera obducto tenebrata cælo
Ruptaq; saxa,
Hunc vident vitæ reducem; cruenti &
Compotem belli, & grauis eminentem
Casibus lethi hunc, meriti ac triumphi
Munere clarum.
Is breui magnos spatio labores
Perferens duræ necis, ac sepulchri
Victor & furuas Acherontis vnus
Diruit arces.
Inde funestum domitor tyrannum
Fraudibus parta minuens corona
Traxit, & regnum spoliauit amplum
Mortis amaræ.
Criminum auctrices furias, metusq;
Visus æratis cohibere vinclis,
Efficax almæ sociare mundo
Commoda vitæ.

VITA ORBI ALLATA.

Vidit ut extantem Satan de funere Christum,
En, ait, hîc homines, non mea regna, nouos.



IESV CHRISTO MVNDI MORT. INFEROR. Q. VICT. POTENTISS. S.



Ode dicolos distrophos. LXVI.

Improvisa simul nigro lux ignea cælo
Fulguris emicuit:
Turbatos horrore animos hiemisq; malignæ
Nubibus assiduis
Exterret, trepidosq; oculos præstringit, & acri
Lumine sæpe ferit.
Ut quanquam certus radianti ex æthere fulgor
Sensibus incubuit;
Obtenebrata tamen stupefactáq; lumina tristis
Tempora noctis agant.
Non secus occisi tempestas dura magistri,
Exanimísque metus
Discipulos tristes effecerat, vt neque certis
Visa oculis Domini,
Vel species vel verba nouam testantia vitam
Perdoceant pauidos.
Non haustu mens arcta hominum comprendere primo
Munera tanta valet.
Illa tamen seu tarda putes ignaráue rerum,
Cordáue dura nimis
Multiplices vsus, ventura in secula mundo
Expediere boni.
Nam quicquid fidei obiiciunt error'que metus'que,
Ingenium vel inops,
Impietas, & suspicio malè credula veris,
Vel dolus illaqueans:
Omnia præsenti exemplo, iam testibus illis
Exuperata iacent:
Nec quicquam reliquum dubij ést mortalibus vltra,
Credere quin valeant,
Quicquid prisca almo adscripsêre oracula Christo,
Quicquid Apostolica.
Felices adeo, dubio quos exuit omni
Sæpe oculata fides.
Dicta Dei sed qui credit, felicior ille est,
Nec petit inspicere.

VERITAS SPECTATISSIMA.

Non viuum dubitate vltrà, ſed credite, vobis
Poſſe dari per me vincere mortis opus.



CHRISTO VIVEN. PER OMN. DOM. APPELL. S.

PH

In tabulam aſcenſionis Chriſti.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS. LXVII.

EXPERS *amaræ mortis, & hoſtium*
Victor, triumphis perpetuis potens,
Soliſq́ peruincens nitores,
Aſtra petit patriamq́ Chriſtus.
Qui patris amplum ſpontè reliquerat
Regnum, quietas & superûm domos,
Mortalis & vitæ labores
Pertulerat vigileſq́ curas:
Celante numen corpore maximus
Hoſpes, paratus ſeruitium graue
Terris ſubire, atque inquietos
Vſque dies tolerare & annos.
Et ſumpta noſtræ ſortis, & ordinis
Incomparandis membra laboribus
Intendit, exercetq́ patris
Nutibus, imperiiſq́ ſummi.
Ergo peractis ipſe periculis,
Seruus probatis officiis bonus,
Audire dilectuſq́ natus
Promeruit, ſoliiq́ conſors.
Præſenſq́ noſtris partibus addidit
Virtutis, alti & munera nominis,
Carniq́ diuinos honores,
Et proprium decus arrogauit.
Miratur ardens diſcipuli cohors,
Certo petentem numine ſidera;
Nubeſq́ ſubiectas prementem,
Vix oculis celerem ſequuntur.
Regemq́ cæli ſuſcipiunt ſuum
Victoris auctum laudibus inclytis,
Celſiq́ plaudentes miniſtri
Concelebrant hominem Deumq́.

EMERITA GESTORVM GRATIA.

Ipse via est, ductorq́; bonus, qui venerat alta ex
Arce, redit, nobis vt paret ipse domum.



CHRISTO TRIVMPHANTI. S.

PH

In tabulam Spiritusſancti.

Ode sapphica. LXVIII.

QVICQVID *optandum cecinere vates,*
Principes quicquid cupidi petebant,
Attulit mundo celebranda Chriſti
Pontificis lux.
Clara lux flammis radiata miris,
Quæ male extinctum renouauit orbem,
Quæque deiectum leuat impotenti
Pondere Adamum.
Dexteræ Chriſtus patris efficaci
Redditus, charæ comitum cateruæ
Impetrat magnis meritis reperta
Flaminis almi
Dona: quæ poſtquam ſociata caſtis
Mentibus, mortem perimunt priorem,
Et graues noctis tenebras coruſco
Lumine mutant,
Error & triſtes fugiunt pauores,
Quæq; cor fluctu quatit inquieto,
Pacis infelix inimica ſentit
Frena cupido.
Conſtat exemplo facilis benigno
Chriſtus, & noſtris eadem parare
Sæculis, ſi quis meruit probando
Præmia curſu.


HVMANI GENERIS RENOVATIO.

Huius flamma animū penetrans quē corripit ignis,
Aurum fit, viles exuit & cineres.



CHRISTO REGI POTENTISS DITISS. LIBERA-
LISS. HOMINVM DEIFICATORI. S.

PH



In tabulam Petri de Christi numine perorantis.

Ode tricolos tetrastrophos. LXIX.

V I R *vt minori præniteat viro,*
Virtutis & quid, quid ſapientiæ
Diuinus humano ſuorum
Spiritus ingenio reponat:
Ille & probauit, qui pauidus prius
Dignum magiſtrum laudibus, ac fide
Rogantis ad vocem puellæ,
Noſſe hominem malè pernegabat.
Vulgaris & qui conſilij potens,
Cæloq́ terræ commoda præferens,
Vitam daturum morte noſtram
Stultus auet reuocare Ieſum.
Poſtquam imbuentis munere ſpiritus
Mutatus, idem liquit inutiles
Curas, & accenſus ſuperno
Igne, noua nituit figura:
Faſtus tumentes deſpicit; & minas;
Nec Chriſto iniquum concilium timet;
Turbamq́, ſermonesq́ vulgi
Temnit, & imperium ſuperbum:
Præſens docere & dicere feruidus,
Chriſtum efficaci numine compotem,
Magnisq́ ſublimem triumphis
Aethereas decorare ſedes.
Vnde & ſequaces nobilitet ſuos,
Auctosq́ magnis artibus inſtruat
Miranda narrare, & ſtupendam
Reddere debilibus ſalutem.

Anne vides, quā magna valet, cui munere Christus
Obtigit immisso & sapere, & facere!



CHRISTO IN PERPETVVM SALVTARI. S.

PH



In tabulam Saüli à Christo reuocati.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LXX.

QVANQVAM *sæua furens lupus*
Rictus horrificos ac sitientia
Feruens pectora sanguinis,
Eructetq́; minas & rabiem trucem:
Quanquam proposito graui
Impulsus, pecoriq́; & populo pio
Infandum meditans, paret
Cædes, insidias, & trepidam fugam,
Actus stultitia & boni
Fallaci studij nomine percitus,
Cui dentes acuit truces
Vulgi, & mobilium gratia principum:
Mutatus tamen audiit
Agni consilium, iussaq́; mitia:
Sese & præbuit integrum
Propugnare greges, quos malè presserat:
Præco & nominis optimi,
Et qui signa sacræ militiæ ferat
Iudæ ad progeniem feram,
Regesq́; & populos & maris insulas.
Non illum retinet metus,
Non aut propositi cura tenax sui,
Mutati & studij pudor,
Postquam Nazaridæ iam monitis boni
Correptus melius sapit:
Cùm præceps media succubuit via,
Mentemq́; & rabiem malam,
Ac sese penitus deposuit grauem.
Tantum vertere præualet
Christi diua manus, duraq́; mollibus
Mutans, fortia firmius
Formare & melius pectora, si modò
Et veri & studiis boni
Incensus, cupias falsa relinquere.

CHRISTIANÆ SIMPLICIT. VICTORIA.

Ambitio, vanum ſtudium, zeluſq́ ſuperbus
Exemplo hoc quicquid mundus habet, ſileat.



CHRISTO VINDICI EFFICIENTISS. S.

PH

73

In tabulam Iudicij.

ODE DICOLOS DISTROPHOS. LXXI.

CONSILIIS *stabilita Dei firmataq́ue iustis,*
Dies paratur adferenda sæculo,
Exoptata piis, satis ac non credita prauis,
Tremore pectus incussura perfidum:
Quam neque terribiles valeant superare tyranni,
Cauere turba nec superba diuitum;
Quamq́ue animi laudent mites, despectaq́ue mundo
Sibiq́ue iuris vsque corda conscia:
Expositura dies sortes mercedibus æquas,
Modumq́ue rebus additura gentium.
Hinc epulæ semper dulces, & gaudia certa
Piis feruntur expetenda præmia.
Illinc æternis subeunda incendia flammis,
Nouusq́ue semper additus malis dolor.
Hic letæ superûm voces, laudesq́ue perennes,
Choro beata concinente carmina.
Ast illic turpes gemitus, luctusq́ue frequenteis
Sonat furente mixta turba Dæmone.
Hi fines rerumq́ue vices, aut præmia diuæ
Manent salutis, aut perennis exitî.
Vel quos fas, pietasq́ue iuuat, vel perfidus error
Vtrosque rege iudicante cælitum.
Vtram igitur placeat, nostrum est, contendere metam,
Capax petatur, arcta seu magis via.

HVMANAR. RER. NECESSARIVS EXITVS.


Qui timet hoc solium, felix: felicior illo est
Qui Christum regem, non metuit, sed amat.



CHRISTO REGI BENIGNISS. VLTORIQ. IVSTISS.



PH



IVDICIVM D. DOCTORIS *Hunnæi Canonici Louanienſis Regij profeſſoris Theologi ex Collegio cenſorum Louanienſium.*

HVNC ſeptuaginta vnius Odarum librum ab eruditiſſimo viro Bened. Aria Montano Doctore Theologo & poëta laureato decantatarum, vnà cum tota Monumentorum conſtructione diligenter perlectum & examinatum, teſtor nihil habere quod catholicum lectorem meritò offendat, ſed plurima quę conducere Lectori pio, eumq́; oblectare poterunt. Louanij cIɔ. Iɔ. LXXI. XVI. Kalend. Apriles.

Auguſtinus Hunnæus
Profeſſor S. Th. Regius.

IVDICIVM SILVESTRI *Pardi Theologiæ Licentiati, Canonici Antvverpiensis ex Collegio Censorum Regia auctoritate & Episcopali electione Antvverpiæ instituto:*

Vnà cum Episcopi Collegij ipsius præsidis confirmatione.

HÆC humanę salutis monumenta docta sunt & pia, omnibusque, vt in vera religione exerceātur, pernecessaria. quare vtiliter imprimi posse iudico. Datum Antvverpiæ Kalendis Martiis. An. 1570. stylo Brab.

Ita testor Siluester Pardo S. Theologiæ Licentiatus, Cathedralis Ecclesiæ Antvverpiensis Canonicus.

IDEM iudico & ego subscriptus,

Franciscus Sonnius Episcopus Antvverpiensis.

CHRISTOPHORVS PLANTINVS LECTORI S.



IMVLAC ea, quæ à nobis nuper excusa sunt, Humanæ salutis Monumenta, à Benedicto Aria Montano excelsi ingenij viro, non minus eleganti quàm docto Poëmate conscripta ad multorum doctissimorum & amplissimorum hominum manus peruenerunt, non potuerunt illi summam hominis doctrinam, rerum diuinarum cognitionem clarissimam, & grauissimum illud argumentum admirabili carminis suauitate, & dignitate tractatũ summopere non admirari. Eorum enim omniũ, quæ vel ab ipso Adamo ad Christi D.N. postremum vsq; iudicium, in sacris libris ad nostram salutem necessaria habentur, seriem & summam, tanta certitudine & facilitate complectitur, vt à nemine vnquam tanto splendore ac doctrina, atque à præstantissimo hoc viro tractatam esse mihi suis verbis sint testati. Plerique tamen ex iis non potuerunt suum animi dolorem ita continere, quin eum quoque mihi patefacerent. Videbant quippe homines sapientissimi, fore, vt sancti illius argumenti tractatio, eaque non solùm vtilis & iucunda, verùm etiam omni literatorum generi planè necessaria, propter rerum quæ in ea continentur, celsitudinem, non à quouis ita facilè intelligeretur: Doctum enim (aiebant) pium, & valde attentum, beneque in sacris libris & pietate exercitatum lectorem ea desiderat. Quod cum animaduerterem, nec possem, pro eo quo me esse sentio erga rem literariam propenso animo, studiosorum, atque etiam clarissimorum hominum, quos dixi, honestissimo desiderio non satisfacere; operæpretium me facturum existimaui, si vnius & septuaginta illarum odarum, quibus humanæ salutis mysteria elegantissimè descripta sunt, argumenta, & sensum breuibus aliquot annotationibus indicarem, & aliquo modo explicarem. Hanc verò prouinciam non ideo suscepi, quòd meo ingenio fretus aliquid à me præ cæteris præstari putem; sed quia non dubito quin plerisque in locis, qui multorum sententia difficultate carere non videntur, mentem ac sensum auctoris, quo quidem, pro ea qua præditus est morum facilitate, familiariter vtor, non sim assecutus. Hisce igitur laboribus, lector, fruere: & si quid, quo tua studia promoueri posse existimes, hic à nobis præstitum esse cognoueris, Deo sapientissimo, ad cuius gloriam omnia sunt referenda, totam laudem & honorem tribue. Vale Antuerpiæ, Calend. Augusti. CIↃ. IↃ. LXXI.

DVPLEX in hoc libro continetur monimentorum genus: VNVM est planè Architectonicū, constans picturis & imaginibus locorū, personarum ac rerum gestarum: hoc architectorum orationibus illustratur; quarum triplex in vniuersum ratio est; aut enim summum totius depictæ rei argumētum describitur, & ea doctrinæ pars, quam didascalicam vocant, vsurpatur; cuius generis orationes inscriptiones dicuntur: quibus vel virtus vel vitium illius imaginis contemplatione annotatur: aut personæ vel rei gestæ auctoritas indicatur, eaque per dedicationes exponi solet. aut vsus aliquis capiendus ex ipsius operis inspectione spectatori proponitur, idq; plerunque disticho aut monosticho, vel aliâs breui epigrammate expeditur. Totum autem hoc dicendi genus breue, graue, significantissimum atque antiquitatis plenum esse debet, neque cum poëtico, aut oratorio, aut comico, aut historico stylo conuenire: sed suis numeris & diffinitionibus, hoc est, architectonicis constare; aliâs ieiunum, & frigidum, languensque futurum. id quod nemo plenè assequi imitaríue feliciter potest qui Architecturæ artis peritus non sit.

ALTERVM verò genus est Poëticum, quod non imaginibus, vt illud alterum, sed verbis rem omnem depingit, atque ea etiam spectanda legētium sensibus proponit & describit, quæ nullo picturæ artificio effingi possunt, vt sunt voces, orationes, animorum corporumque motus omnes, & cogitationum studiorumque formæ. Vtrunque hoc in libro ita ad amussim expressum est genus, vt obseruata pietatis & religionis sanctimonia ac dignitate, nihil desiderari possit, quod vel ad architectonicam grauitatem, vel ad poëticam elegantiam, & sententiarum ponderosam plenitudinem faciat. Hæc antequam explicationem aggredimur, admonitionis causa indicanda duximus.

TABV-

TABVLA II.

ARGVMENTVM.

Veræ ſapientiæ rudimenta.] *Chriſtum Dei ſapientiam Paulus appellat, 1.Cor.1.24. Idem etiam Gal.3.24. legem antiquam, cuius miniſter Moſes fuit, pædagogũ hominibus ad Chriſtum fuiſſe dicit.*

Inſcriptio.

Fideli miniſtro.] *Moſis elogium Dei reſponſo pronuntiatum, Numer. 12.7.*

Ode II.

Moſis laudes canit, quẽ ab ipſo vſque ortu Dei conſilio delectum, variis per omnem ætatem amplitudinis teſtimoniis ornatum, tandem libertatis ducem declaratum, & legiſlatorem ſumma auctoritate conſtitutum fuiſſe ait.

Nobilis hoſpes.] *Iethro Madian ſacerdos, &, vt Chaldæus paraphraſtes interpretatur, apud ſuos magiſtratum ſummum gerens.*

Præpotens herbis.] *Aegyptiorum ſapientiam & deteſtabilẽ magiam diuina virtute per Moſem ſuperatam indicat, vltro confeſſis Aegyptiis ipſis, & quamuis inuitis, tamen ob pœnarum ſenſum cedentibus, Exod.8.*

Numinis puræ.] *Lex ſancta eſt, Deoq́ grata; hominibus verò, dum peccati impotentia imperat, propter maledictionem & damnationem horribilis eſt, Rom.7. & pluribus in locis.*

Obſtupen. clarus honore.] *Gloriam & auctoritatem ex Dei colloquio Moſi additam indicat, Exod. 34.21. 2.Cor.3.7.*

Tabulæ III. Argumentum.

Ambitio ærumnoſa.] *Prima cogitatio, qua parentes olim ad crimen admittendum inducti ſunt, gloriæ cupiditas erat, vnde inobedientia nata, ex qua ſcelus ſuſceptum, hinc mors cum miſeriis omnibus conſecuta. dehortatur igitur ab ambitione tabellæ argumentum.*

Inſcript.

Fraudis expoliatricis.] *Non virtute, ſed fraude illa hominum ruina parata eſt, ab antiquo ſerpente mendacij patre, quem ab initio mendacem fuiſſe Chriſtus docet, Iohan.8.24.*

Ode III.

Grauiſſimorum dolorũ, ærumnarum, mortis, malorumq́ omnium originẽ primam fœminæ adſcribit, quæ à ſerpente ſeducta, virum ſuum ad commune crimen pellexit. Cauſam verò fidei defectionem fuiſſe ait, quòd vterque magis ſerpentis fallaciæ, quàm diuinæ cautioni & prædictioni crediderit. oſtendit præterea voluptatis nimium ſtudium ſtimulos etiam addidiſſe illis, ad ſuſcipiendum crimen, ſicut ſcriptum eſt: Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq́ delectabile, 1.Tim.2.14.

Tab. IIII. Argum.

Conſilium abſconditum.] *Vt ex*

morte vita oriretur, atque ex veteri in nouum Adam homines transformarentur, consilium fuit celatum à generationibus, & seculis, & noui testamenti tempore reuelatum sanctis, Colos.1.26.

Inscriptio.

Misericordiæ vindici.] *Namque recōciliationis humanæ consilium ex misericordia Dei profectum est, Tit.3.4. 1.Iohan.4.10.*

Ode IIII.

Indicat consilium Luciferi in negotio primi hominis à se perditi fuisse, non tantum humanum genus in suam tyrannidem redigere, sed etiam cum Deo de sapientia velle contendere. Hoc autem magnum mysterium est, quod ipse auctor aliâs plenius & apertius exponet. Huic verò Luciferi consilio diuinum oraculum opponitur, quo calliditatis illius commenta omnia superanda esse præcinuntur, cum summa ipsius doli auctoris perturbatione, & stultitiæ redargutione ac pernicie.

Tab. v. Argum.

Fœdus instauratum.] *Nam quæ de misericordia erga homines Deus proposuerat, antiquus serpens turbari & irrita reddi curauerat, auctis in vniuersum hominum flagitiis, & mundo ad vastitatem ex diuini iudicij sententia addicto: sed vt propositum Dei maneret, fœdus cum Noe rursum est renouatum, vt exponitur Gen.9.9.*

Inscriptio.

Misericordiæ memori.] *Dicatur Tabula Deo, qui cùm iratus fuerit, misericordiæ recordatur, Habac.3.4.*

Ode v.

Poetica elegantia describit orbis instaurationem, ex misericordia Dei iram remittentis, & de æterna ac temporali humani generis salute cogitantis: ostendit piorum sacrificia Deo gratißima esse. Demonstrat quantam orbi calamitatem hominum peccata afferant; quantam Dei misericordia rursus salutem.

Renouata certis cursibus, &c.] *Namque tempora omnia diluuij vna tempestatis facies nimirum informis hiems & nox tenebat, quam diuina prouidentia in quatuor anni commodißima tempora conuertit. sicut scriptum est: Cunctis diebus terræ, sementis & meßis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies non requiescent, Gen.8.22. atque hæc ætas iuxta rationem Noe diuinitus præscriptam, ad Abraham vsque ætatem pertinet.*

Tabul. vi. Argum.

Obedientia constans.] *Veræ obedientiæ exemplum Abraham proponitur, qui fide instructus nihil omnino laborum detrectauit, in mandatis Dei quamuis difficillimis facessendis. De hoc argum. lege Iacobi Apostoli epist.c.2.*

Inscriptio.

Fidei ductrici.] *Quidquid ex fide suscipitur, rectum est, & fallere non potest, pium suscipientis animum: adest enim Deus fidei virtuti sibi gratißimæ, quam nunquam deserit, quā nusquam nō ad optimū exitum perducit, modò fides ipsa viua sit, qualis in carmine describitur. Huius inscriptionis sententia latè disputatur à Paulo Heb.10.*

Ode vi.

Ode VI.

Quem tu diua fides virum.] *Fidem viuam non esse otiosam ostendit, sed obedientiæ rationibus & negotiis perpetuò deditam, neque tantùm opera vulgaria præstantem, sed planè heroica, vel diuina potius gesta suscipientem, atque adeo in omni tum rectè faciendi, tum dura & difficilia tolerandi materia, aut exercitatissimam, aut exerceri paratissimam. Est elegans ode, plena argumentis in sacra scriptura obseruatis: alludit ad multas historias diuinorum librorum. lege Hebr. 10.*

Superum viribus æmula.] *Mira, sed verissima amplificatio, quando videmus Iacob fide instructum angeli colluctantis vim sustinuisse, ac tandem superasse, dicentis: Dimitte me, quia ascendit aurora, Genes. 32.26. Sunt & alia exempla longè etiam hoc illustriora.*

Tabul. VII. Argum.

Fidei testimonium grauiss.] *Credentis fidem viuam opera testantur, alioqui mortuam arguit fides, nisi per dilectionem operetur. Ostende, inquit Iacobus, fidem tuam sine operibus, & ego tibi ostendam ex operibus fidem meam, Iacob. 2.18. itaque opera fidei testimonium à Paulo vocantur, Hebr. 11.39. Atqui maximè erga fidem periculi facti exemplum in Abraham scriptura statuit, iusso filium sacrificare, & rem tãtam indubitanter facessente. Ideo grauissimum testimonium hic appellatur, Gen. 22.*

Inscriptio.

Prouidentiæ consultrici. S.

Deus enim obtẽperantibus sibi opportunissimè prouidet, quanquam maximis rerum difficultatibus illi, dum obediunt, implicentur. Ita persuaserat sibi Abraham, cùm filio de victima roganti respondit, Dominus prouidebit sibi victimam, fili mi. Lege de hac re Psalmum 90. Qui habitat in adiutorio Altissimi.

Ode VII.

Plurimas difficultates commemorat, & grauissimas, quas Abrahæ fides tentata peruicit; illud vnũ secum statuens, obediẽdum esse Deo per omnia, rerúmque exitus illi esse permittendos, qui optimos semper efficere solet. Lege de hac re Psal. 45. Deus noster refugium. Cuius sententiam omnem poëta hoc loco refert. Hoc tempore pactum salutis cum Abrahamo est confirmatum, cuius argumentum Iacob per quietem postea cognouit, vt in sequenti tabula indicatur.

Tabul. VIII. Argum.

Humana diuinitas.] *Videns Iacob mysterium ecclesiæ, in qua habitaturus erat Deus trinus & vnus, Verè, inquit, terribilis est locus iste, & non est nisi domus Dei, & porta cæli. Cùm autem Deus in hominibus inhabitat, homines ipsos deificat. Videte, inquit Iohannes, qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus, 1. Iohan. 3.1.*

Inscriptio.

Dei philanthropiæ.] *Tantam dignita-*

gnitatem deificationis nostræ diuino erga homines amori acceptam referendā esse indicat. In hoc est charitas, inquit Iohannes, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, 1. Iohan. 4. 10.

Argum. Odæ VIII.

Omnium promissorum, quæ olim patribus facta fuerant, de serpentis capite conterendo, de benedictione familiarum terræ in semine Abrahæ, summā quandam iam speciali quodam modo relatam, in illa ostensa Iacobo imagine indicatam fuisse ait. Quandoquidem omnia illud continebant arcanum, Deum, diaboli deleta tyrannide, in hominibus, vt in propria sibique sanctificata domo, regnaturum, magnámque futuram esse spirituum cælestium, & hominum amicitiam, & familiaritatem. Est hoc magnæ significationis mysterium, de quo poëta alias plenius soluta oratione disseret. Adeo autē excellentis argumenti est, vt cælum vsq; ad ipsum Dei thronum penetret; quamobrem eleganti figura in ipso amplificationis incremento Ode ipsa finem sibi præscripsit.

Tabulæ IX. Argum.

Fides morti insuperabilis.] *Adeò firmus & constans fuit Iacob in diuinis promissionibus integra fide excipiendis, vt nō modò ipsa maxima promissa, quæ ad vitam & salutem pertinebant, sed horum promissorum figuras, nempe terræ Chananæorum possidendæ pollicitationes, quanquam moribundus, iam tamen constanter tenuerit, & à longe, vt Paulus ait, salutauerit; filiisque suis, vt certissimas non modò expectandas tradiderit, sed ipse etiam regionum & munerum partitione facta, testamento possidendas reliquerit. Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, Hebr. 11.*

Inscriptio.

Deo sapienti doctori.] *Futurarum rerum certa cognitio Deo propria est, neque quisquā, nisi à Deo doctus, quid cuique sit futurum, certis rationibus præscriptum prædicere potest. Id probatur in Iacob, qui iam fermè moriēs, singulis filiis suis ad lectum vocatis, certissimas sortes præcinuit, à Deo, cui crediderat, edoctus. Sic enim ille præfatus est: Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israël patrem vestrū. id est, eum cui virtutem & potentiam Deus concessit, audite, Gen. 49. 2. Lege de hoc argumento secundum caput lib. Danielis.*

Argument. Od. IX.

Canit quemadmodum Iacob in diuinorum promissorum fide decedens, futuras posteritatis suæ res perinde cognouerit, cognitásque filiis suis prædicens enarrauerit, acsi ipse iam præsens illarum spectator esset, eiusq; fidei & expectationis hæredes reliquerit filios suos, adeo sibi certæ & constantis, vt ob eam rem suum defuncti vita corpus in Chananæam regionem sepulturæ causa deferri mandauerit: eo modo posteritatem suam præcessurus, atque corpore & ossibus compositis possessionem etiam temporalem illam conseruaturus, & spiritualem animo cum patribus suis versante expectaturus.

Tabu-

Tabulæ x. Argum.

Tyrannis misericordiæ concedens.] *Cogitabat Aegyptius tyrannus Israelitas perdere, quos Deus ad misericordiæ ostendendæ exemplum comparabat. non potuit tyrannis infringere Dei propositum; immo ipsa vltro insciens, misericordiæ illius ministram se præbuit, infante Mose educando, cuius opera salus illa & libertas Israelitis est allata, cum summa hostium & tyrannorum pernicie, Hebr. cap. 10. & 11.*

Inscriptio.

Prouidentiæ victrici.] *Non potest humana prudentia, quantumuis excogitatis consiliis, diuinæ prouidentiæ instituta impedire. Dixerant Aegyptij aduersus Israelis populum: Venite, & sapienter opprimamus eum: sed stultam fecit Deus mundi sapientiam, 1. Cor. 1. 20.*

Argum. Od. x.

Ostendit nullis consilijs, nullis opibus, nulla denique facultate humana posse diuino consilio obsisti; cui non modò hominum tãdem imbecillitas & inscitia cedat, sed naturæ rerũ hominibus insuperabiles vltrò administræ obsecundent. Poeticè autem omnem rem describit, docens Chamesis sobolis, id est, Aegyptiorum voluntatem & conatum fuisse, omnes infantes Israelitarũ aquis summersos perdere, atque ita genus illud delere; tamen Deum effecisse, vt ipsi vltrò ex mediis aquis ignem eruerint, hoc est, Mosem, qui seipsos suasq; res omnes tandem esset absumpturus. atque huic rei administros sese præbuisse Nilum fluuium, & Nili pisces, aliàs monstrosos & feros, qui infanti, quominus noceretur, prospexisse videntur.

Tabul. x I. Argum.

Optio incomparabilis.] *Optauit Moses magis affligi cum populo Dei, quàm temporalis gaudij habere iucunditatem: sententia est D. Pauli Apostoli Hebr. c. 11. vers. 25.*

Dedicatio.

Sapientiæ illuminatrici.] *Significabat apertè Deus Israelitis tempus salutis appropinquare, cùm viderent summum virum, & regi Aegyptio gratum Mosem, vindicem iniuriæ, in suæ gentis hominẽ illatæ, aduersus Aegyptium sese præbere: sed illi hanc Dei significationem noluerunt intelligere, vt S. Stephanus protomartyr docet, Act. 7. vers. 25.*

Odæ x I. Argum.

Diuinum erga hominum salutem consilium certum constansq; esse, & sapientißimè procedere ostendit; sed stultitia & culpa hominum ipsorũ, de quorum salute agitur, aliquando retardari aut impediri. Huius rei exemplum statuitur in Mose, qui promissæ Israelitis salutis ministerium iam meditari inceperat, cùm, relicta illa ambitiosa aulici splendoris conditione, qua ille apud Aegyptios valebat, omnem cogitati sibi de fratrum salute negotij euentum, animo constanti præuisum, experiri statuit; & tandem ingratè ab iis, quibus bene consulebat, exceptus, in exiliũ volũtarium, adhuc in eodem permanens proposito, profectus est; humaniusq; est ab alienis hospes quàm à suis fuerat vindex susceptus.

ceptus simul etiam ostendit prouidentiam Dei ibi præsentissimam esse, vbi pij viri pietatis colendæ causa durius & angustius agere hominibus putantur. In hac Ode illud tetrastichon est difficilius intellectu. Illius vires & studium efficax, *&c. sententia est: Illum Israelitam, qui ereptus fuerat per Mosem è manibus Aegyptij, dixisse alijs Israelitis quo animo erga se vindicandum, quo robore esset is quem illi non perinde atque oportuerat, exceperunt.*

Tabul. XII. Argum.

Diuinæ virtutis specimen.] *Ignis ille quem Moses vidit, cuius vi rubus ardens non vrebatur, diuinæ virtutis specimen quoddã & velut typum fuisse ait. Fouet enim diuina virtus pios, modestos atque se aduenientem excipientes, eosdemq; calore efficientiæ suæ animat, sanctósque reddit, & à vulgari & prophana consuetudine remotos, vt illo igne totus locus olim calefactus sanctus dictus est. Idem verò ignis superbos & contumaces, atque sceleratos vi sua exurens consumit: alteram vim Israelitæ ex Aegypto educti, alteram Aegyptij illorum hostes experti sunt.*

Dedicatio.

Misericordiæ memori.] *Nunquã enim Deus propositæ à se, & promissæ misericordiæ obliuiscitur, sed oportuno tẽpore ipsis rebus efficiendis ac præstandis recordatur. Quamobrem frequens mentio in scripturis est misericordiæ memoris, vt apud Habac. cap. 1. vers. 3. & quod Mater illa veritatis canebat: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.*

Ode XII. Argum.

Inducto colloquio cum Mose velut Angeli alloquentis indicat, diuinæ misericordiæ mysteria maximè quæ ad salutem hominum pertinent, maiora esse quàm vt humana sapientia absque Dei ipsius doctrina assequi possit. Illa enim cùm ex singulari & arcano Dei consilio proficiscantur, Deum doctorem sui postulant, qui tamen facilis & benignus contingat ijs, qui fide, charitate, modestia, & cæteris oportunis virtutibus probatos se discipulos præbeant.

Tabul. XIII. Argum.

Euangelij exemplum.] *Quod qui audierunt, credentesq; secuti sunt obedientia adhibita, ex antiqui hostis tyrannide liberati sunt. Hæc enim ex Aegypto libertas, illius spiritualis salutis figura fuit.*

Dedicatio.

Verbo efficaci.] *Diuini verbi virtus in credentium & obedientium salutem, & rursus in aduersariorum perniciem, satis apertè declarat liberatio ex Aegypto.*

Ode XIII. Argum.

Pulcherrimæ exhortationis figura ostendit Ode publicam & communem totius Israelitici populi libertatem è miserrima seruitutis conditione, non solum autem libertatem, sed multarum diuitiarum ab hostibus, verbo Dei victis & expoliatis, abductarum facultatem: simul gratulatur illis nouæ ac iucundioris vitæ vsum, adscribens omnia hæc beneficia diuinæ misericordiæ.

Tabulæ XIIII Argum.

Arcanæ salutis argumentum.]

Illu-

Illuſtris illa ſalus Iſraelitis olim facta humanæ ſalutis myſteria & ſymbola omnibus ſuis partibus continebat. Omnia enim, vt Apoſtolus ait, in figura contingebant illis, 1.Cor.10.6.

Dedicatio.

Deo victori.] *Fuit enim illud bellum Deo duce geſtum aduerſus Satanam, eiuſq; milites Aegyptios, per magnos illos miniſtros, virtutes Dei, mare, ventos, noctem, nubes, lucem & tenebras. Sicut Moſes dixerat: Dominus Deus veſter pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, Exod.14.14.*

Od. XIIII. Argum.

Eiuſdem ſententiæ cum dedicatione eſt hymnus hic. ſignificat omnem naturam creatam miniſtrã ſe præbere Deo, tum ad pios iuuãdos & ſeruandos, tum ad impios vlciſcendos & perdendos.

Tab. XV. Argumentum.

Humanæ infirmitudinis examen.] *Lex per Moſen lata, ſancta quidem illa, & ſpiritualis, quæ virtutis & pietatis cultum oſtenderet & exigeret, ſed quia non erat ſcripta in cordibus hominum, niſi in tabulis tantùm, accuſabat quidem conſcientias, & exercebat eas ad pietatem, non tamen perficiebat: imo magis oſtendebat humanam infirmitatem ex naturæ antiquo lapſu natam: indicabat autem ex conſequenti Chriſtum expectandum, qui quod impoßibile erat legi, in ſuorum animis efficeret. Eſt hoc grauiſſimum, & magni momẽti argumentum: de quo plurima & admiranda diſputatio in totis noui teſtamenti libris eſt. Lege cap.8. Epiſt. ad Rom.*

Dedicatio.

Deo, puro, ſancto, terribili.] *Hæc omnia ipſa lex lata, & apparatus ille ignis, caliginis, fumi, tubæ ſonitus & vocis è cælo auditæ, deinde motus populo factus declarauere. Lege Epiſt. ad Heb. cap.12.*

Odæ XV. Argum.

Magnum beneficium à Deo in homines collatum canit, quod in tãta iam tenebrarum caligine, & naturalis legis obliuione ſeſe Deus ad colloquium cum hominibus ineundũ demittens, voluntatem ſuam lege lata declarauerit, & æqui iuſti, pietatiſq; rationes ſanctiſſimas expoſuerit. Idq; magno apparatu & præſentiam ſuam teſtante effecit. In fine autem Odæ dicitur illam legem interim integre colendam fuiſſe, quoad ſpiritus ſanctus, Chriſto ſalutis põtifice, in corda hominum miſſus legis optimam obſeruationem imperaret, facilémque redderet ſemotis illis cæremoniis, quæ in illa lege velut vmbra futuræ veritatis continebantur.

In Tab. XVI. Argum.

Conſtantiæ fructus.] *Non hæſitandum in Dei promißis, ſed ſumma conſtantia expectandum eſſe euentum, docet hæc tabula. Ex magna enim illa hominum multitudine, qui ex Aegypto deducti fuerant, illi tantùm promiſſam terram ingreßi ſunt, qui vel conſtantes initio fuerant, vt Ioſue & Caleb; aut qui poſtea incredulitatis expertes, totos quadraginta annos perdurauere. Qua de re primum & ſecundum caput Deuteronomij plenè diſſerit: & D. Paulus ad Hebr. cap.3.*

Dedicatio.

Fideli Deo.] *Impoſsibile enim eſt Deo mentiri, aut promiſsis deeſſe ſuis, niſi illi, quibus facta ſunt, ſibi ipſis deſint, Hebr. c. 2. verſ. 2.*

Odæ XVI. Argum.

Docet, non timidis, otioſis, pigris & incredulis, atque laborum detrectatoribus diuinorum promiſſorum euentum vſúmque contingere, ſed iis qui fide & charitate innixi propoſitum ſibi ſtudiũ fortiter percurrunt, ſumma ſpe reportandi præmij concepta, ex diuinis ſermonibus efficaciſsimis ad animos fideli addendos, quibus omnis difficultas frangatur & ſuperetur. Significat præterea diuinorum beneficiorum, quæ promiſsionibus continentur, tantam eſſe dignitatem, amplitudinem, & iucunditatem, vt eos, quibus contigerit, nullius anteacti laboris pœniteat. Exornatur carmen illo miraculo Iordanis fluuij, qui aditum aperuit Iſraelitis, terram promiſſam adeuntibus.

Tab. XVII. Argument.

Pœna matura grauiſsima.] *Deus gentes illas, diutiſsimè expectatas ad pœnitentiam, tandem rebelles & contumaces grauiſsimè puniuit, dilato ſupplicio per quadringentos & amplius annos, donec vel eorum ſcelera, quæ per pœnitentiam non expiabantur, per contumaciam & aſsiduitatem complerentur. Fuit prima Iericho huius diuini iudicij tunc teſtis, quæ omnis corruit & arſit, omníſque cum ſuis rebus anathemate eſt damnata.*

Dedicatio.

Deo vltori.] *Qui non tardat promiſſa ſua, ſed patienter agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Contumacibus autem & proteruis, ſuámque malitiam mordicus tenentibus, tandem iudicem vltorémque ſe præbet. lege Epiſtolam Iacobi Apoſtoli cap. 2. verſ. 13.*

Odæ XVII. Argum.

Confirmat, nihil valere humana conſilia, aut præſidia, quamuis maxima & operoſiſsima, aduerſus Dei iudicis & vltoris ſententiam & virtutem, quandoquidem ſine vllo humano negotio aut labore, niſi tantùm ſola Dei voluntate, vel maxima hominum opera ad regnorum potentiam tuendam comparata, ſubito euertãtur & corruant, vt in Iericho vrbis munitiſsimæ muris ſponte ante Dei populum corruentibus eſt manifeſtum: qui populus nullam aliam artem ad expugnandum adhibuit, niſi fidem cum obedientia præſcripti ſibi ambitus vrbis per ſeptem dies, & ſonitum tubarum & clamorum victoriæ, Hebr. cap. 11. verſ. 30.

Tabul. XIX. Argum.

Perſeuerantiæ exitus.] *Non enim qui incipit, hic ſaluus erit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem. Neque palmam coronámque refert, niſi qui legitimè certarit. qui diuinis in promiſsis hæſitarunt, à terræ poſſeſsione excluſi ſunt. qui verò ſeſe Deo permittentes totos crediderunt, & laborum temporúmque moleſtiam, & impedientiũ hoſtium difficultates pertulerunt: hi terræ Iſrae-*

Iſraeliticæ diuidendæ compotes fuerunt, Matth.10.22. 2.Tim.2.5.

Dedicatio.

Deo veraci potenti.] *Quidquid Deus ex miſericordia promittit, re ipſa ſuo tempore præſtat, nullis omnino difficultatibus impeditus. Quamobrem miſericordia & veritas frequentiſſimè Deo adſcribitur, Pſalm.24.10. Iſaiæ 55.verſ.10.*

Ode XIX. Argum.

Oſtendit, hominum opes & diuitias, per iniuriam & auaritiam partas vnà cum dominis ſuis perire, idq́; tantum prodeſſe, vt hoſtibus à Deo vindice miſſis maioris prædæ materiam ſuppeditent. cuius rei exemplum in illa expugnatione gentium, tanta cum feſtinatione facta, oſtenditur, quorum domus multis diuitiis refertæ, & agri cultiſſimi Iſraelitis in vſum ceſſerunt, admirantibus diuinorum promiſſorum præſtantiam & conſtantiam, & damnantibus patrum ſuorum incredulitatem, qui tantis rebus & diuinæ prouidentiæ beneficiis ſua ſeſe culpa priuauerant.

Tabulæ XX. Argumentum.

Expectatæ expiationis vmbra.] *Significat tabula ſacerdotia antiqua, cum ſacrificiis, quæ inquinatos ad emundationem carnis (vt Diuus Paulus ait) ſanctificabant, non ſua natura, ſed expectati Chriſti ſacrificij virtute, & ſignificatione valuiſſe: quam virtutem, velut vmbra corpus, vel lucem referebat totus ille ſacrorum ritus, poſtea præſenti iam lumine ipſo Chriſti abolendus. Hoc argumentum per totam Epiſtolam ad Hebræos multis & grauibus verbis diſſeritur.*

Dedicatio.

Deo clementi placando. S.] *Magnum beneficium in illa ſacrorum rituum veteri inſtitutione hominibus à Deo exhibitum ſignificat; qui quamuis illis antiquis ſacrificiis nunquã placatus eſt propter ipſorũ imbecillitatem ad deſtruendum peccati corpus minimè idoneam: tamen præter externas quotidianorum errorum expiationes, ſpem etiam illa ſui repetitione faciebant, fore aliquando, vt Deus omnino placaretur, admota illa victima, cuius infinita virtute omnis ille antiquus cultus eſſet conſummandus. Idcóque antiqui nunquam ceſſabant offerre, per ſingulos dies, ex diuino inſtituto: quod apertè indicabat, Deum eſſe clementem, & tandem finem iræ ſuæ, & illis veteribus laboribus poſiturum. Alioqui, inquit Paulus, ceſſaſſent offerre, Hebr. cap.10.verſ.2.*

Ode XX.

Argumentum.

Deſcribit canens, quantum curæ Deus adhibuerit Iſraeliticæ vineæ colendæ & promouendæ, miſſis variis colonis, prophetis, iudicibus, regibus, & ducibus, quorum ſinguli ſuo munere diligenter functi ſunt: multi etiam colendæ vineæ cauſa extrema pericula ſubiere. cæteris autem laboribus cunctis diuturnior & aſſidua magis dicitur fuiſſe ſacrificiorum cura, quibus populi peccata expiabantur, & humani animi

animi infirmitas & miseria declarabatur, cum professione expectati Messiæ, qui summus salutis Pontifex futurus erat. Quem vates enthusiasmo raptus (acsi illo tempore antiquo carmen componeret) cupit quã maturrimè venire.

Tab. XXI. Argum.

Pœnitentiæ vtilitas.] *Propositum Dauidis exemplum, quantum vera & ex animi incenso studio suscepta pœnitentia impetrare apud Deum possit, apertè ostendit.*

Argum. Dedicationis.

Dei benignitati.] *Misericordiam quoque & benignitatem diuinam erga eos, qui concepta clementiæ spe ipsum recta pœnitentia placare student, Dauidis exemplo obseruare licet: cui illud etiam ad amplificationem accedit, quòd Deus ipse sponte hominem lapsum suæ ruinæ monet, & ad salutem petendam aduocat.*

Od. XXI. Argum.

Docet humana malitia, simulatione, & calliditate homines fortasse alios falli posse; Deum verò nunquam falli, qui prudenti consilio vel tergiuersatum peccatorem sua ipsius rogata sententia redarguit, & conuincit, vt in parabola Dauidi à Nathan proposita ostẽditur. Deinde ait, optimum & felicissimũ esse, à peccato abstinere omni cura & diligentia; sed si quis ex imbecillitate in peccatum labatur, proximum felicitatis gradum esse, per pœnitentiam placato Deo restitui in gratiam: vt Diuus Iohannes docet, 1. Iohan. 2. 1. vnde à Theologis Pœnitentia secunda tabula post naufragium rectè appellatur.

Antiquorum scriptorum tabulæ.

Argum. Tabul. XXII.

Simplicitas mundo fastidita.] *Nihil est quod magis deceat pios homines, & populum Dei, quàm integra in rebus agendis, atque adeo in vita omni simplicitas, qualem Samuel in munere iudicis & prophetæ atque consulis maximi obeundo seruauit. Sed hanc virtutem mundus superbiæ & fastus amator fastidit, & repellit, regésque sibi & regium fastum optat; quæ tamen non sine magno sumptu & labore, atque adeo seruitutis & tyrannidis periculo suscipit.*

Argum. Dedicationis.

Optimo Reipub. ministro.] *Fuit enim Samuel innocentissimi & integerrimi, atq; etiam diligentissimi præsidis exemplum.*

Od. XXII. Argum.

In genere demonstratiuo compositum carmen ostendit Samuelem, & integerrimum & facillimum populis iudicem fuisse, qui nullam omnino exceptionem, etiam à vulgo cui fastiditus est, tulerit. fuisse etiam ducem felicissimum, qui Palæstinos hostes voto & precibus apud Deum fusis vicerit. Demum eum sacrarum historiarum sui temporis scriptorem agnoscit.

Argument. Tabul. XXIII. de Nathan.

Consiliorum integritas.] *Is profectò optimè consulere potest, qui nec metu, nec odio, nec gratia à veritatis &*

& decori studio abducitur : huiusmodi consultus integerrimus Nathan tempore Dauidis fuit; qui ob eam rem in dedicatione Honesti doctor grauissimus appellatur.

Ode XXIII. Argum.

Beatam esse ætatem canit, in qua publicarum rerum præfecti pietatem, innocentiam, & integritatem studiose colant: sed quoniam potentia ipsa humana homines aliquando dementatos ad licentiam traducit, ait regibus & præfectis optandum curandúmque esse, vt sapientes amicos consultósque habeant, à quibus nec propter gratiam corrumpantur, nec propter agrestem asperitatem, atque importunam libertatem exacerbentur. Cuiusmodi multi consulti esse solent. Vtriusque verò rei rectè instituendæ exemplum in Dauide & Nathan statuit; quorum alter optimus rex fuerat, sed tamen qui vt homo grauiter corruit; alter optimus & integerrimus consilij minister, qui diuinam veritatem liberè & prudenter docuit. Fuit etiam Nathan suorum temporum scriptor.

Argum. Tab. XXIIII.

Diuinæ veritatis argumentum.] *Cōtemplator Dauidem ex puero quondam pastore ouium, deinde propter inuidiam à Saule rege primùm exagitatum, atque omni fere populo inuisum, postea à principibus gentis suæ à familiaribus, atque adeo à propriis filiis vexatum, & tamen omnia tolerantem spe & fide verbi à Deo excepti, demum in regium thronum cum summa tranquillitate & gloria deductum, in habitu regio carminibus diuinísque laudibus vacantem: atque hoc satis validum tibi exemplum fuerit diuinæ virtutis, & efficientiæ erga eos, qui verbis ac promißis Dei credentes iußis obediunt.*

Argumentum dedicationis.

Regi fortissimo, integerrimo, pientissimo, vati facundiss. P.] *Dauidis regis historia, optimum exemplum fortitudinis in bellicis rebus, pietatis & integritatis in religione colenda, & repub. administranda proponit: & ab eodem conscripti Psalmi summam sapientiæ, eloquentiæ, & decoris referunt laudem.*

Ode XXIIII. Argum.

Laudes Dauidis decantat Ode, quem patientißimum iniuriarum, & magni tolerandis rebus aduersis animi fuisse dicit, vltionis minimè cupidum, ad ignoscendum propensum: constantißimæ erga diuinum verbum fidei, in bello fortißimum, atque à pueritia vincendis periculis & laboribus exercitatum: egregium scriptorem & expositorem diuinæ legis: Sacrorum rituum & ordinum instauratorem: Demum diuinorum & efficacißimorum psalmorum auctorem.

Argumentum Tabulæ XXV. de Salomone.

Humanæ sortis mensura gemina.] *Omnium rerum, quæ in orbe expetuntur, summa in Salomone continetur, videlicet, sapientia, diuitiæ, opes, potentia, gloria, & voluptas. Atque in eodem*

eodem etiam ſtatutum eſt exemplum magni caſus, in quem deueniunt, qui à timore Dei receſſerint.

Argum. Dedicationis.

Principi ſapientiſſimo, vitæ mortalis magiſtro.] *Non modò ſapientia & eruditione, ſed propria etiam experientia auctus Salomon libros ſcripſit, quibus omnis humanæ vitæ & recta & peruerſa ratio continetur.*

Odæ XXV. Argum.

Laudatur Salomonis regnum, ſapientia, diuitiis, & rerum omnium cognitione, præter cætera vel priora, vel poſteriora exempla, præſtantiſſimè felix; tamen illa exceptione imminutum, quod ob fœminarum amorem admiſſo vanorum deorum cultu fuerit obſcuratum: & tandem nihil præſtantius in vita eſſe, quàm Dei timor, probatur.

Argum. Tab. XXVI. de Iſaia.

Pietatis indefeſſum ſtudium.] *Huius rei exemplum in Iſaia ſtatuitur egregium, qui creditum ſibi propheticũ munus ſumma fide, magna pietatis & publicæ ſalutis cura, vſque ad mortem diligentiſſimè geſſit. Ille ſuorum temporum ſcripſit hiſtoriam, hoc eſt, partem librorum Regum.*

Argumentum dedicationis.

Diuinarum rerum indici admirabili.] *Nam nullus antiquorum prophetarum de diuinis rebus, de humanæ ſalutis ratione arcana, de Chriſto, de omni denique Euangelio plenius & ſignificantius ſcripſit quàm Iſaias.*

Odæ XXVI. Argum.

Continet Ode breuem ſummam rerum in Iſaiæ libro ſcriptarum, laudéſque ipſius prophetæ, à genere, à muneris auctoritate, & actionum dignitate, ab Euangelij ſignificatione apertiſſima, à diuina prorſus eloquentia: demum à conſtantia pro diuina veritate ſupplicij genere grauiſſimo perferendo.

Argument. Tabulæ XXVII. de Hieremia.

Honeſtæ indolis decurſus integer.] *Hieremias à Deo ad propheticum munus antè electus quàm natus, religioſe educatus, magnum fortitudinis & ſtrenuitatis exemplum, omni vitæ & muneris ſui parte exhibuit. Id quod in dedicatione etiam ſignificatur.*

Dedicatio.

Legato ſtrenuo, forti, & infracto.] *Namque & diligenter & ſtrenuè creditum ſibi prophetæ munus geſſit, nullis vel minis, vel laboribus, vel regum & populorum inuidiis perturbatus.*

Od. XXVII. Argum.

Quantum poſſit tenax animi propoſitum cum fide coniunctum, & facere & ferre ac vincere, oſtendit Ode laudibus Hieremiæ vatis decantandis. Deinde oſtendit virtuti, quamuis à propriis ciuibus repulſæ, ſuum locum tamen, ex Dei prouidentia, honeſtiſſimum apud hoſtes eſſe.

Argum. Tabul. XXVIII.

In tempeſtate ſubſidium.] *Captiuis Iudæ filiis tamen diuino beneficio Daniel*

Daniel intereſt, qui prophetiæ munus vtiliſſimum ad ſalutis ſpem magna auctoritate tueatur.

Dedicationis Argum.

Vati fortiſſ. temperantiſſ. exercitatiſſ.] *In ferendis aduerſis rebus fortiſſimus fuit Daniel, qui captiuus multorum principum virorum inuidia, vſque ad varia mortis pericula, laborauit. Quantum à vitiis & voluptatibus idem abſtinuerit, hiſtoria declarat: exercitatiſſimus autem in publicis rebus præcipuè ad pietatem pertinentibus fuit.*

Odæ XXVIII. Argum.

Docet hæc Ode circa finem ferè antiquorum temporum, cùm minus frequens prophetiæ munus eſſet, extitiſſe Danielem, qui præteritarum, præſentium & futurarum in orbe rerum ſeriem exponeret, eundémque verorum ſomniorum interpretem, magnum & certum fuiſſe ſignificat, & viſionum explicatorem admirabilem: cuius ſententias omnes & euentus ipſe probauit, & ſcripta etiam ſancta veráque eſſe Chriſtus confirmauit.

Argument. Tab. XXIX.

Prouidentia inſtauratrix.] *Nihil eorum, quæ diuina prouidentia inſtituit, imperfectum manet, quamuis magna difficultate impeditum, aut interruptum putetur. Res Iudæorum detritas & profligatas Deus, excitato Eſdra, reſtituit: vt tandem in Iudæa locus pararetur Meſſiæ, ſalutis auctori propediem venturo.*

Dedicatio.

Scribæ ſapientiſſ. patri patriæ.] *Namq; Eſdras religionibus, rebus curatis; legibus ſacris inſtauratis, moribus emendatis, populóque per pœnitentiam expiato, diuinam clementiam erga ſuos mouit, & gratiam reconciliauit.*

Od. XXIX. Argum.

Laudes Eſdræ decantat Ode, quem gratia apud Barbaros populos, & reges illuſtrem fuiſſe dicit, ex diuino videlicet beneficio. eundem genere ſacerdotali, & munere ſcribæ præclarū prædicat, atque officio erga Deum, & patriam, gentémque ſuam faciendo inſignem: cuius tempore atque adeò præſidio, & opera, Iudæi in patriam reſtituti, templum denuo conſtructum, ſacra procurata, mores publicè ac priuatè correcti fuerint. Atq; hactenus de antiquorum ſeculorum ſcriptoribus, & de omni veteris teſtamenti ſerie eſt actum.

Sequitur ſacroſancti Euangelij ſeries ab initio inſtituta, quæ quatuor ſcriptoribus grauiſſimis à Spiritu ſancto credita eſt, contexenda.

Tabul. XXX. Argument.

Diuina vocatio.] *Efficaciſſima eſt in iis qui obtemperant, quos neque pauperies, nec mors, nec vincula terrent. Huius rei exemplum eſt Matthæus publicanus, qui & Leui.*

Dedicatio.

Euangelij teſti fideliſſimo.] *Non ſolùm oculatus teſtis fuit Matthæus, ſed qui teſtimonium Dei in ſe habuit, & proprio etiam experimento reddidit.*

Odæ

Odæ xxx. Argum.

Doctè & eleganter describit publicanorum, & eorum qui diuitiis comparandis inhiãt, cupiditatem & studium. Postea comparatione mutationis magnæ ostendit, quàm efficax sit Christi vocatio, & quemadmodum apud Deum facile sit, diuitem à diuitiarum cura reuocatum, ad earundem contemptionem, & potiorem diuitiarum amorem traducere.

Argument. Tab. xxxi. de D. Marco.

Sapientiæ compendium.] *Breuibus chartis Christianæ virtutis, & totius Euangelij summam complexus est Marcus, ea tantùm ex tota historia contexens, quæ salutis humanæ consequentes rationes spectarent. Huc etiam pertinent, quæ in dedicatione leguntur.*

Ode xxxi. Argum.

Deberi Marco laudes ait, quas Alexandria excipiens celebret, cui ille, à Petro relictus, Episcopus præfuit, & quas etiã omnis orbis cõmemoret. Laudum autem argumenta indicat, quòd Christianam disciplinam multis laboribus colendam, libenter Marcus susceperit, quòd Petro comitem sese præbuerit, quòd creditam sibi Aegypti ecclesiã optimè fuerit moderatus, quòd Euangelium scripserit breue, sed perspicuum, incipiens ab ipso Euangelij initio, hoc est, à Baptismo Iohannis.

Argument. Tab. xxxii. de D. Luca.

Lux expedita.] *Quæ alij Euangelistæ breuiter & magna significatione scripsere, Lucas principio altius repetito exposuit, ita vt ipse aliorum contestis, & commentator sit. Quamobrem illo titulo dignißimè insignitur, quem dedicatio addit :* Veritatis expositori diserto.

Odæ xxxii. Argum.

Lucam ex magno physico medico, in optimi medicinæ generis professorem euasisse, Ode canit, nempe Christo præceptore edoctum, quænam sit maxima hominum ægritudo, quæ causa morbi; quo medico, quibus modis & remediis leuari curarique poßint. Eúmque explicati Euãgelij auctorem cõmemorat, & gesta Apostolorum scripsisse; cuius libri summa ratio est, diuini spiritus sanctificationis virtutem indicare. Demum Pauli Apostoli comitem, & rerum gestarum testem, & scriptorem eundem canit.

Argum. Tabul. xxxiii.

Abstruso sapientia.] *Diuinam naturam vnicam, personis trinam, consiliis altißimam, actionibus omnipotentem, humanam etiam regenerationem admirandis modis Iohannes Euangelista, scriptis à se Euangelio, Epistolis & Apocalypsi tractat: ita vt nullus auctorum sacrorum tam altè penetranda mysteria chartis exposuerit; ideo penitißimus arcanorum index in dedicatione appellatur.*

Odæ xxxiii. Argum.

Admiranda Euangelij & cæterorum Iohannis scriptorum argumenta, admiranda etiam verba, non ab humano ingenio aut studio profecta, sed diuino

uino ſpiritu dictata fuiſſe aſſerit Ode, eumq́ ex piſcatoria humilitate ad illuſtriſsimam conditionem diſcipuli chariſsimi, teſtis integerrimi diuinitatis & humanitatis ſuæ, itē filij & cuſtodis matris ſuæ à Chriſto fuiſſe delectum canit.

Argum. Tabul. XXXIII.

Felicis ſeculi initia.] *Aurea noui Teſtamenti & Euangelij ætas à conceptu & ortu Iohānis Baptiſtæ inchoata eſt, vt docet D. Lucas.*

Dedicationis Argum.

Deo conſuli perpetuo ſapiētiſſimo.] *Illius enim de humana ſalute conſilium perpetuum fuit, atque ita ſapienter inſtitutum, vt oportuno tempore explicari cœperit.*

Odæ XXXIIII. Argum.

Tempus illud expectatum atque exoptatum pijs omnibus, quod à Deo iterum humanam naturam alloquente, & renouandam pollicito (vt conſtat ex Geneſ. cap. 3. verſ. 15.) ſignificatū eſt, iam ex eo tēpore cœpiſſe indicat poëta, cùm Angeli terras, & hominum colloquia familiarius frequentarent. Cuius rei exemplum editum eſt in legatione ad Zachariam per Angelum delata, quæ hoc loco eleganter narratur; ſimul & Iohannis Baptiſtæ animus, mores, virtus, & munus prædicātur, & viſionis certa fides populo facta oſtenditur.

Argum. Tabul. XXXV.

Rerum nouandarum exemplū.] *Quòd virgo concipiat, virgo pariat Deū & hominem, ex Spiritus ſancti opera & Altiſsimi virtute hæc fiant: exemplū manifeſtum eſt poſſe renouari humanā naturam, in melioremq́ traduci conditionem, idq́ à Deo adornari.*

Inſcriptio.

Deo electori.] *Qui humiles exaltat, & nouit eos, quibus magna nomina imponere conſtituat, vt non glorietur omnis caro, ſed ipſi auctori gloria adſcribatur.*

Odæ XXXV. Argum.

Inducit Angeli ſalutātis orationem, & virginis audientis honeſtatem, modeſtiam, prudentiam, ac viuam fidem decantat.

Argum. Tab. XXXVI.

Pietatis cōcordia.] *Qui vera pietate calent, adeò non inuident alijs magnas dignitatum, & munerum, beneficiorúmque acceptorum à Deo facultates & conditiones, vt ſtudioſiſsimè gratulentur.*

Inſcriptio.

Fœminæ ſanctiſſimæ.] *Mariæ, quā beatam dicent omnes generationes, ſanctitatem Eliſabethæ teſtimonio celebratam hæc tabula continet.*

Odæ XXXVI. Argum.

Canit Eliſabeth iam ex diuino miraculo grauidam, maiori Spiritus vi auctam fuiſſe viſa virgine Maria, quam Dei matrem agnouit, & beatam prædicauit; quæ ſumma modeſtia & honeſtate, ſumma fide ac virtute hoſpitium in ſe parauerit Deo, idq́ non ſuo tantū, ſed infantis in vtero ſuæ contenti ſenſu comprobat, cuius lætitia ipſa etiam exultauerit.

Argum. Tab. XXXVII.

Aurora diei nuntia.] *Aurora non eſt ipſa lux, ſed à die & ſole efficitur, quem præcedit annuntians; ſic Ioannes quamuis lucerna ardens eſſet, non erat ille*

ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.

Dedicatio.

Deo prospectori.] *Magno enim apparatu signorum & miraculorum in conceptu & ortu Iohannis Baptistæ significabat Deus humanæ salutis negocium à se maturari.*

Odæ xxxvii. Argum.

Genethliacum carmen est, quo Iohãnis Baptistæ auctoritas, dignitas, munus, officium, & vitæ genus horridum, & à voluptatibus mundanis alienum celebratur; idq́; eleganti dicendi figura.

Argum. Tab. xxxviii.

Sol iustitiæ exoriens.] *Christus orbem in tenebris iacentem illustraturus, virtutis suæ signum ipso ortu suo dedit, luce per noctem illustrante, & Angelis canentibus, pastoribusq́; simplicibus ad mirandum spectaculũ vocatis.*

Dedicatio.

Humanæ sortis susceptori Deo homini.] *Qui factus est homo ex semine Dauid, formam serui accipiens, per omne infirmitatis humanæ genus (peccato excepto) tentatus.*

Næniæ Argument.

Natura humana mirata nouum genus infantis, agnoscit Deũ in mũdũ venisse hominẽ, qui, infirmitatibus ipsius susceptis, renouationẽ admirandã efficiat.

Argum. Tab. xxxix.

Charitas nihil recusans.] *Hanc maximam præstitit Christus, qui exinaniuit semetipsum, vltro suscipiens vitæ mortalis labores, & legis seruitutem pro hominibus, quorum salutis causa in mundum venerat. idq́; ex dedicatione etiam declaratur:* Principi summo pro reipubl. libertate seruienti.

Odæ xxxix. Argum.

Mirandum esse ait, quòd Deus voluerit experiri labores & dolores, quibus humana mortalitas premitur; cùm tamen ille optimè cognosceret è cælo, quàm magni illi, & quàm à diuina natura alieni sint. Vnde consequitur, Dei filium sponte venisse, & suscepisse illam seruitutẽ, atque sese legi subdidisse, circũcisione accepta, quæ signum erat adscriptionis in populum Dei; non vt ipse adscriberetur, sed vt homines seruos, quibus similem se præbebat, in gratiam conciliatos, cælesti regno ciues adscriberet. Absoluitur Ode significatione nominis à Christo per illam suam summã modestiam & humiliationem reperti.

Argum. Tab. xl.

Gentium lux.] *Christus lumẽ fuit ad reuelationem Gentium, Luc. 2. qui statim vt natus est, magis affulsit cognoscendus.*

Dedicatio.

Deo immortali, homini vero, regi liberatori.] *Indicat significationem munerum à Magis prolatorum.*

Odæ xl. Argument.

Solem exortum antea videri ab ijs, qui in montibus versantur; quàm ab ijs qui in nebulosis vallibus errãt: ita Christi numen & nomẽ prius cognitum est Gentibus, qui Deum ex natura obseruatione verè & simpliciter quærebant, quàm à Iudæis, malitia, ambitione, & cupiditate excæcatis, & à propria veraque doctrina ob propriam culpam alienatis.

Argum. Tab. xli.

Diuina tutela.] *Nihil consilia, studia,*

dia, commenta, potentia humana nocere possint ijs, quos Deus suscipit seruandos, quosq; prouidētia tuetur sua. Legē sententiā distichi huic tabulæ inscripti.

Inscriptio.

Principi optimo pro suis exulanti.] *Vt ex figurato figura adimpleretur, sicut scriptum est, Ex Aegypto vocaui filium meum.*

Odæ XLI. Argum.

Inducit Ode viatorem quendam, qui cum Ioseph de itinere disserat, quod institutū videt cum virgine honestissima, & puero mortalē vicem superantē. Ille exponit quis sit puer, qualis mater, quis ipse, quò properè, cuius cōsilio, & quam ob rem; nimirum Dei consilio se petere Aegyptum, vt ibi asseruet pignus publicæ salutis, resarciturum omnem humanam iacturam abundantissimè tempore à Deo constituto.

Argum. Tab. XLII.

Gratiarū thesaurus.] *In Iesu Christo enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Coloss. 2. ver. 3.*

Inscriptio.

Diuinitati emicanti.] *Pueri prudentiam, & profundàs cogitationes admirati senes illi peritissimi diuinæ naturæ vim interpretari debebant.*

Odæ XLII. Argum.

Inducit adstantium & assidentium puero Iesu admirationis plenam orationem, qua planè illa respondentis pueri sapientia diuina esse probatur.

Hactenus lucis exordia & solis in terra orti demonstratio.

Nunc iam deinceps Euangelij series contexitur.

Argum. Tab. XLIII.

Lucis diuinæ coruscatio.] *Pænitentia à Iohanne indicta initium fuit boni nuntij de hominum publica salute iam orbi allati. Non enim Iohannes erat lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.*

Inscriptio.

Salutis nuntio grauissimo.] *Magna & planè diuina auctoritate Iohannes præditus fuit, vt præsentem orbis redemptorem testaretur, quem cæteri prophetæ futurum prædixerant.*

Odæ XLIII. Argum.

Canit Ode salutis aduenientis testimoniū & præconiū per antiquos vates prædictum, & indicatum à Iohanne secundum Iordanem; idq; in magna & celebri populorum frequentia; ab eodemq; de duplici Euangelij efficientia dissertū fuisse: totum denique Iohannis officium indicat.

Colonus Gentibus impijs vicina iungens prædia. *Periphrasis est Galilææ.*

Argum. Tab. XLIIII.

Modestiæ ornamentum.] *Iesus à Nazareth veniens, nihil de se profitetur magnificentissimum, sed, vt alij, baptismum petit, quo tamen non indigebat. Ea modestia admirando Dei præconio & testimonio ornata est. Id adeò in dedicatione significatur*, Christo Dei filio pronuntiato.

Odæ XLIIII. Argum.

Poëtica elegantia & eleganti veritate describit lætitiam publicam ab omni natura rerum celebratam eo die, quo Christus à Iohanne baptizatus est; vbi Trinitatis personæ apertiùs

argumentis probatæ fuere, & illa profunda charitas Christi ostensa; qui cùm in forma Dei esset, formam serui accepit, & per omnia factus est obediēs patri, & sese minoribus, hoc est, hominibus subdidit.

Argum. Tab. XLV.

Scripturarum vtilitas.] *Probatissima aduersus impetus diaboli arma verbum Dei est; quamobrem Christus ad doctrinam nostram diabolicas tentationes petitis ex sacra scriptura telis superauit.*

Dedicatio.

Christo duci inuictissimo.] *Quē præeuntem & docentem atque adiuuantem qui sequentur & imitabuntur milites, ab aduersario non superabūtur.*

Odæ XLV. Argum.

Christo victori Angeli accedentes ministrabāt, quos omnis prælij commissi, & triumphi per Christum reportati narratores inducit Ode.

Argum. Tab. XLVI.

Naturæ innouandæ argumentum.] *Vinum ex aqua factum, idq́ue optimum.*

Dedicatio.

Christo curatori benigno.] *Vbi ille præsens est, nihil desiderari potest, modò commodum oportunumq́ sit.*

Odæ XLVI. Argum.

Docet hoc carmen Christum præsentia sua nuptias legitimas à Patre suo institutas ornasse, & significasse etiam amorem suum erga Ecclesiam, quam sibi spirituali & arcano matrimonio copulare instituerat; deinde huius rei confirmationē & virtutis Christi signū primum celebrat, aquā in vinū cōuersam.

Argum. Tab. XLVII.

Diuinæ disciplinæ schola.] Con*stat magna veritate & simplicissima sapientia à mundi opinionibus aliena; constat etiam discipulis simplicibus, & veri ac boni tantùm cupidis. Huc & dedicatio pertinet,* Simplicium doctori optimo. *Vnde Paulus nihil se scire velle nisi Christum aiebat, 1. Corinth. 2.*

Odæ XLVII. Argum.

Canit Ode Christi doctrinam ex Patris sapientia profectam, duplici virtute præditam; illustrandi & fouendi mollia corda; idq́ ex efficacia sua: rursus contundendi & premendi atque obdurandi crassa & terrena pectora, idq́ue ex consequenti euētu; atque adeo ex ipsorum culpa qui difficiles sese præbent: illis fructum esse vitam, his mortem.

Argum. Tab. XLVIII.

Lætissima orbi legatio.] *Sicut scriptum est, Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, anuuntiantis bonum, prædicantis salutem, Isaiæ 52.*

Dedicatio.

Magni cōsilij nuntio summo.] *Christi titulus hic est, quem Euangelij summùm ministrum circuncisioni promissum & datum Paulus appellat, Roman. 15. ille alios salutis annuntiandæ causa subdelegauit.*

Odæ XLVIII. Argum.

Docet oportunam Christi & sollicitam curam mittendi Apostolos, qui salutis nūtium, cum magnis miraculorum ad confirmationem beneficijs, Gentibus; nimia veritatis audiendæ penuria laborantibus, afferrent: atque adeo ipsi cum multi-

multiplici & graui sui ipsorum incommodo mundum doctrinæ salubris medicamentis curarent, spe præmij non in rebus terrenis, sed cælestibus propositi.

Argum. Tabul. XLIX.

Prouidentia certissima.] *Ostendit Christus certißimam esse prouidentiam erga eos, qui se doctorem ac ducẽ sequuntur; quibus nihil vnquam deerit eorum quæ necessaria sint & commoda, tametsi superflua non suppeditẽtur.*

Dedicatio.

Humanæ infirmitatis curatori.] *Christus enim ipse vltro prospicit vitæ ac neceßitati hominum, qui ipsum quærentes petunt. Misereor, inquit, super turba, &c. Marc. 6.*

Odæ XLIX. Argum.

Expositione miraculi in tanta hominum multitudine, tam exiguo sumptu pascenda, arguit humanam stultitiam, quæ terrena multo labore quærit, cùm eadem copiosa magis, longéque suauiora, & iucundiora contingant ijs qui spiritualia à Christo petunt.

Argum. Tab. L.

Fidei momentum.] *Lazarus suscitatus ex mortuis illustre admodum exemplum est efficacitatis fidei viuæ; quæ cùm confeßione sororum ostenderetur, impetrare potuit à Christo quatriduo iam mortui hominis restitutionẽ.*

Dedicatio.

Vitæ auctori efficacissimo.] *Illo miraculo Christus confirmauit se esse vitæ spiritualis auctorem, vt in Euangelijs exponitur.*

Odæ L. Argum.

Eiusdem sententiæ est Ode cum inscriptione & dedicatione Tabulæ.

Argum. Tabul. LI.

Salutis oblatio.] *Vltro nos Deus dilexit; vltro filium suum in mundum misit, vt dissolueret opera diaboli: vltro filius ipse spectandum agnoscendumq; se præbuit.*

Dedicatio.

Regi legitimo declarato.] *Quẽ Deus certis signis spectandum per prophetas indicari ac prædici curauerat.*

Odæ LI. Argum.

Canit lætißimam illam diem Ierosolymis illuxisse, qua rex Christus pater futuri seculi, & salutis pontifex vrbem ingressus est, agnoscendus signis per prophetas prædictis, humilis & mansuetus, non fastu illo mundano regum & principum damnoso & graui. Quibus vulgus vel spe, vel metu, vel leuitate magis aliquando quàm iudicio blãditur & adulatur. Sed Christo turba plaudebat propter memoriam miraculorum & doctrinæ.

Argum. Tab. LII.

Celatum antiquis seculis arcanũ.] *Quod in illa sacrosancta cœna & corporis sui cum hominibus communicatione actum est mysterium antiqua secula nunquam intellexerunt.*

Dedicatio.

Dei benignitati admirandæ.] *Qui filium suum nobis dedit, non solùm vt suam naturam nobis communicaret, sed vt nostram culpam suscipiens lueret atque expiaret.*

Odæ LII. Argum.

Canit admirandum conuiuium à Christo exhibitum hominibus, sibi etiã desiderio desideratum, in quo præsitæ olim liberationis ex Aegypto lux ipsa & veritas.

veritas spiritualis liberationis apparata fuerit miro modo. Perstringit autem multa mysteria de virtute, & efficientia sacrosancti sacramenti corporis & sanguinis Domini, quæ longam desiderant explicationem.

Argum. Tab. LIII.

Publica victima.] *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi, Ecce venio: Hebr. 10.*

Dedicatio.

Sacerdoti æternùm vncto.] *Idem enim fuit victima, idem Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Ode LIII. Argum.

Comparat infirmitatem antiquorum sacrificiorum & victimarum ipsarum, cum Christi victima & sacrificio: & Philosophicis, ac Theologicis argumentis ostendit oportuisse Christũ pati ad mundi tollenda peccata, quæ illis antiquis seruitutibus destrui nõ poterant: obiter aũt indicat magnũ illud mysteriũ redemptionis, in morte & resurrectione Christi.

Tab. LIIII. Argum.

Publici debiti grauitas.] *Hanc arguebat illa deprecatio Christi ter repetita.*

Dedicatio.

Humanæ miseriæ susceptori.] *Christus enim miseram illam conditionem hominum ex peccato ortam cum peccatis ipsis in se suscepit, grauissimum quidem onus, sed quod tales postulabat humeros. Isai. 53.*

Odæ LIIII. Argum.

Exponit causam illius anxietatis & sudoris sanguinei Christi orantis: quam indicat fuisse peccatorum mundi, tum multitudinem innumeram, tum grauitatem immodicam.

Tab. LV. Argum.

Improbitatis permissæ impotentia.] *Furit humana improbitas vbi potestas tenebris facta est, atque in innocentissimum sæuit importunissimè.*

Dedicatio.

Agno salutari mitissimo.] *qui coram tondente se obmutuit de salute eorum cogitans, à quibus crudeliter tractabatur. Isai. 53.*

Odæ LV. Argum.

Ferociores & noxias magis tenebras fuisse ait, quæ tempore passionis Christi grassatæ sunt, quàm eas quæ ante mundum conditum abyssum occupabant. illæ priscæ tenebræ, vel nihil, vel abyssum premebãt, ex qua orituræ erant res corporeæ: hæ verò innocentissimum Christum vitæ fontem vexabant.

Tab. LVI. Argum.

Virtus mundo inuisa.] *Tantam lucem tenebræ ferre nequeunt, quamobrem innocentia à nocentibus, simplicitas & virtus, atque modestia summa ab auaris, ambitiosis & peccatoribus damnatur.*

Dedicatio.

Innocẽti pro sceleratis deuoto.] *Ipse enim sese deuouit patri pro nobis, atque pro omnibus, etiam ijs, à quibus damnabatur, si tamen illi vellent aliquãdo suum malum agnoscere, & illius beneficio indignos non se præberent.*

Odæ LVI. Argum.

Ostendit magistros & præfectos ambitione, & suorum commodorum studio excæcatos

excæcatos, non modò ipsos impiè & sceleratè agere, sed reliquo populo magnorum scelerum & iniuriarum auctores esse. Cuius rei exemplum manifestum est in illa Christi damnatione apud pontificem.

Argum. Tab. LVII.

Felicitas repulsa.] *Christus in propria venit, & sui eum non receperunt suo ipsorum magno malo.*

Dedicatio.

Agno à lupis leoni obiecto.] *Gentibus Christus est traditus Iudæorum sæuissimorum dolo. Gētes ferarum instar habuere; atq; ita crudeliter à gentibus Pilato & militibus tractatus est.*

Odæ LVII. Argum.

Indignationem continet carmen, aduersus eos, qui beneficentissimū & multis exemplis vtilissimum probatum salutis auctorem Iesum, im manibus modis exceptum, tanquam nocentissimum & execrandum malefactorem tradebant iudici iniquo. Hoc autem indicat humanam peruersitatem, & diuinam bonitatem.

Argum. Tab. LVIII.

Innocentia spectatissima.] *Traditus Christus etiam inuidis & suspiciosis tyrannis, & remissus ad Pilatum testimonium vndequaque exploratissimæ innocentis, & omni exceptione superioris vitæ refert: ex quo consequitur, eum alienas culpas luere, non suas, quas nullas habebat. id'que in dedicatione significatur.*

Humanæ causæ procuratori fortissimo.] *Qui nihil probri & contumeliæ, atque laboris & plagarū non subijt, & pertulit hominum causa, quam vt perferret, nulla vel grauissima retardatus est re.*

Odæ LVIII. Argum.

Pilatus index metu actus iudicij à se iniquè in Christū exercendi, reum Herodi mittit iudicandum. Herodes nihil dignum inuenit morte in eo, sed curiose experiri virtutem cupit: cui cùm nihil responderet ad illam leuem cupiditatem Iesus fastiditus, magis ob illam integritatem & stultus iudicatus, quàm damnatus, remissus est ad Pilatum; atq; idem apud vtrunque constitutus, admirabili quadam virtute & arcana vtrunque ex inimicis reconciliauit.

Argum. Tab. LIX.

Pacis humanæ disciplina.] *Christus attritus propter peccata nostra, indignationem Dei erga homines iustissimam & grauissimam sua obedientia & innocentia placauit.*

Dedicatio.

Ignominiæ publicæ susceptori.] *Ignominiosum fuit flagellari hominem sceleratum: summæ verò ignominiæ innocentem pro scelerato plagis affici, has plurimas Christus innocentissimus pro sceleratissimis pertulit.*

Odæ LIX. Argum.

Conqueritur innocentem ita crudeliter verberari à nocentissimo carnifice, qui nihil commeritus fuerit, quamobrem verberaretur: & interim illis plagis acceptis, sanet alienas noxas, atque adeo in hoc intentus sit, vt vel ipsi tortori suis vulneribus prosit.

Argum. Tab. LX.

Humanæ mentis leuitas.] *Quæ*

innocentem, & beneficum, atque omni ex parte vtilem agnitum, manifestario & publico malefactori posthabet.

Dedicatio.

Hæredi æterno à seruis expulso.] *Tantum humana cupiditas & ambitio mali suadet hominibus.*

Odæ LX. Argum.

Vulgi leuitatem detestatur Ode, qui nullo consilio à bona sententia in pessimã mutatur; & viros pios ac probos omnes hortatur, ne vllum sibi honorem in populi ac vulgi opinione constituãt, nisi in virtute atque beneficentia, cui coronam nec addere, nec detrahere vulgus potest.

Argum. Tabulæ LXI.

Lux inter tenebras.] *Qui peccatum non nouerat, inter peccatores vt execrabilis ducitur, ita tamẽ, vt in medijs iudicis erroribus, & accusatorum insanijs illius innocentia fuerit testatissima.*

Dedicatio.

Innocentiæ pro nocentibus traditæ.] *Hac enim hostia mundi peccata expianda decreuerat Deus.*

Odæ LXI. Argum.

Summam Christi potentiam, virtutem, & amplitudinem maximam, ad mortem vsque crucis pro nobis humilem & obedientem, miratur Ode. Describit autem tum dignitatem propriam, tum humilitatem susceptam appositissima antithesi.

Argument. Tabulæ LXII.

Sacrificium summũ.] *Antiquorũ cultuum & sacrificiorum cõsummatio: vnã enim offerens hostiã Christus id effecit & impetrauit, quod antiquæ legis sacrificijs impossibile fuerat. Heb. 10.*

Dedicatio.

Sacerdoti maximo pro populo litanti.] *Idem enim & efficientissima victima, & gratissimus pontifex fuit, qui Aaronis sacerdotium in æternum Melchisedechi mutauit.*

Odæ LXII. Argument.

Negotium salutis humanæ decretum à principio mũdi, quod natura ipsa propter infirmitatem efficere nũquam posset, Christus sacerdos Dei filius ex amore proprio, paternaq; gratia præstitit, factus maledictum pro nobis, & subiẽs tenebras mortis, vt nos educeret in lucẽ. Hoc arcanum nunquam intellexit Satanas, donec iam ita cõstitutum fuisset, vt serò sapientem se perturbaret conatum impedire per somnia & terrores vxori Pilati iniectos, sed frustra.

Argum. Tabulæ LXIII.

Inimicitiæ cõpositæ] *In Christi cruce & morte reconciliatus est Deo mundus, qui antea erat inimicus, nisi tamen ipse à recõciliatione sua culpa alienetur.*

Dedicatio.

Inferorum expugnatori expoliatori fortissimo.] *Mortuus Christus non cessat, sed inferas sedes, quas moriẽs expugnauerat, petit, & expoliat, redemptis ijs qui in illius fide ac spe mortui fuerant.*

Odæ LXIII. Argum.

Ostendit Ode à virgine matre magnum dolorem ex occisi filij spectaculo acceptum fuisse, nunquam tamen eiusdem resurrecturi fidem, spem, atque expectationem abfuisse. Id autem eleganti similitudine decantat ex rerum natura petita.

Argu-

Argum. Tabulæ LXIIII.

Humani generis diuitiæ.] *Christi sese ad mortem vsque demittentis inopia diuites facti sunt, quicunque in ipsius mortem baptizati sunt, 2. Cor. 8.*

Dedicatio.

Dedicatio continet epitaphium rerum à Christo susceptarum & præstitarum, dignitatis & efficientiæ illius summam complectens, atque breui futuræ resurrectionis spem confirmans.

Carminis LXIIII. Argum.

Elegiacum carmen inscriptionis instar habet hoc loco: alloquitur saxum viuum sepulchri vt testem perpetuum futurum mortis, & incorruptionis, ac resurrectionis Christi, atque etiam inimicitiarum inter Deum & homines compositarum morte & resurrectione Christi.

Argum. Tab. LXV.

Vita orbi allata.] *Christus mortuus est propter scelera nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram, Rom. 4.*

Dedicatio.

Iesu Christo mundi, mortis, inferorumque victori potẽtissimo.] *Qui potest gratiam suis impetrare & impertiri vincendi ea, quæ ab illo victa sunt, Iohan. 16.*

Odæ LXV. Argum.

Canit die resurrectionis Domini naturam omnem exultatione & plausu testatam fuisse, nouam hominibus vitam per Christum deuicta morte allatam.

Tab. LXVI. Argum.

Veritas spectatissima.] *Christi resurrectio non potuit non notißima esse tanta copia testium.*

Dedicatio.

Christo viuenti perpetuo omnium Domino appellato.] *Data est mihi omnis potestas.*

Odæ LXVI. Argument.

Eleganti similitudine proposita ostendit discipulorum turbatos metu, & consternatos dolore animos ita hæsisse, vt non nisi multis testimonijs & periculis factis, Christi resurrectionem crederent. Magnam verò vtilitatem hominibus alijs ex discipulorum longa dubitatione allatam probat, quòd nulla iam alijs ratio sit relicta dubitandi. Concludit autem illos fuisse felices qui sensu ipso sæpe certiores facti sunt Christi resurrectionis; sed beatos fore qui non viderint, & crediderint.

Argum. Tab. LXVII.

Emerita gestorum gratia.] *Christus obedientia sua vsque ad mortem, & resurrectionis triumpho gratiam emeritus est, quam venerat acquisiturus Ecclesiæ, cuius caput ipse est. ideo in cælum ascendit, vt ad dexteram patris sedẽs, perpetuum suis regnum conseruet. Itaque ipse peperit sibi nomen quod est super omne nomen: captiuam duxit captiuitatem, hominibus gratiam à patre suo impetrauit.*

Dedicatio.

Christo triumphanti.] *Triumphator Christus victa morte cælũ ascendit, Ecclesiam suam Spiritus sancti inde missis muneribus ornaturus.*

Odæ LXVII. Argu.

Canit Christum ex seruitute, quam factus homo obijsset, in eam euasisse gloriam, vt humanæ suæ naturæ nomen & præconium filij Dei publicè celebrandũ

parauerit,ſimul & diuinos honores hac etiã parte fuerit promeritus, ita vt caro humana Chriſti, diuina etiam caro appelletur. Deinde narrat admirationem diſcipulis tali ſpectaculo factã, & Angelorum teſtimonium de Chriſti auctoritate & maieſtate.

Arg.Tab. LXVIII.

Humani generis renouatio.] *Spiritu ſanctificationis à Chriſto immiſſo,noui homines, nouæq; creaturæ re ipſa fiunt;quos credentes, & obedientes ſibi,tanto honore dignatur Deus.*

Dedicatio.

Chriſto regi potentiſſimo, ditiſſimo, liberaliſsimo, hominum deificatori.] *Ex plenitudine eius accipiunt homines ſpiritum illum ſanctificationis & adoptionis filiorum, quo chariſſimi effecti, filÿ Dei nominantur, & ſunt, 1.Iohan.3*

Odæ LXVIII. Argum.

Canit Ode admirandam illam donorum Spiritus ſancti diſtributionem, à Chriſto ad Patris dexteram ſedente in ſuos factam, quam antiqui omnes pÿ vtcunque præcognitam ipſi etiam optauerant,& gratulati poſteris præcinuerant futuram. Deinde indicat effectum Spiritus ſancti in eos, quos penetrat.Poſtremò hortatur omnes pios ad huiuſmodi dona expetenda, & contento pietatis ſtudio à Chriſto impetranda. Nihil enim ille magis cupit, quàm vt hic ignis, quem venit mittere in terram,accendatur, Luc.12.

Arg. Tab. LXIX.

Chriſti virtutis ſpecimen.]*Cuius abſentis nomen tantam vim habet, vt in ſignum veritatis illius ſanitas reddatur ÿs, quos ſecundum naturam ſanari impoſsibile erat.*

Dedicatio.

Chriſto in perpetuum ſalutari.] *Cuius virtutem perpetuam eſſe teſtantur miracula, orbi à diſcipulis poſt eius in cælos aſcenſionem facta. Namque ille cæleſtium ſtatus non mutatur, aut minuitur; vnde in perpetuum ſeruare poteſt accedentes ad Deum per ipſum, Hebr.7.*

Odæ LXIX.Argum.

Docet magnam atque admirandam hominũ mutationem,eorum quos diuinus ſpiritus imbuerit; exẽplo Petri, qui non ita pridem ad puellulæ vocem negauerat ſe noſſe Ieſum, metu correptus. Idemq; Chriſto diſſuadere volebat mortem pro mundi ſalute ſubeundam:& paulo poſt tempore in eam fortitudinem euaſit, vt humana omnia, quæ vel timeri, vel appeti ſolent, ſuperauerit, & magna virtute miracula Chriſti nomine ediderit.

Argum. Tab. LXX.

Chriſtianæ ſimplicitatis victoria.] *Saulus exemplum ſapientiæ,prudentiæ, contentioniſque humanæ audito Chriſti mandato ſuperatus, ex lupo agnus redditur.*

Dedicatio.

Chriſto vindici efficaciſsimo.] *Qui moleſtiam ſuis exhibitam ipſe ita ſibi exhiberi, grauémque eſſe affirmat, vt vindicet etiam.Saule, Saule, inquit, quid me perſequeris?*

Odæ LXX. Argum.

Mutationem illam admirandam Pauli ex perſecutore Eccleſiæ in propugnatorem canit Ode, oſtendens quid impellat

impellat error, & studium, & persuasio popularis atque magnatum. Rursus quid posit Christus mutare & efficere, Spiritu sancto immisso in eos, qui sibi obediunt.

Argum. Tabulæ LXXI.

Humanarum rerum necessarius exitus.] *Nullus hominum effugere poterit, quin reddat rationem eorum, quæ fecerit in corpore, siue bonum, siue malum: omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi, 2. Corinth. 5.*

Dedicatio.

Christo regi benignissimo, vltorique iustissimo.] *Qui reddet vnicuique iuxta opera sua, Lege secundum caput Epistolæ ad Romanos.*

Odæ LXXI. Argument.

Hominum res aliqua ex parte in hoc mundo turbatas certam diem habere ad examinandum, atque pro iusti iudicij ratione vel præmio, vel supplicio compensandum Ode canit. Qua die nihil optatius pijs, nihil impijs minus optatum esse potest; cùm alijs virtutis & pietatis cultæ corona, alijs impietatis, & improbitatis exercitæ pœna imponenda sit. Hortatur demum omnes, vt sibi consulant, & breuis vitæ rectè exercitæ spacio magnum æternorum laborum incommodum vitent, magnumque maximorum bonorum compendium faciant.

DIVI-

DIVINI DE HVMANA SALVTE CONSILII SECVLORVM SERIE EXPLICANDI INDEX.

PRIMVS proponitur Moses antiquorum arcanorum explicandorum, & futuræ salutis significandæ vates à Deo constitutus.

2 Hic mundi creationem, & hominum ruinam narrat.

3 Initium seculorum omnium, quæ ad humanæ salutis negotium referuntur, adnotatur ab eo tempore, quo Deus hominum ruinam misertus, salutem adferendam, dignitatemq; amplificandam in se recepit. Hæc est fœderis promissio.

4 Fœdus malitia hominum ferè interruptum cum Noë instauratur, sicut scriptum est: Ponam pactum meum tecum.

5 Idem fœdus iam propius & clarius Abrahæ expositum primum vocato promittitur. S. S. E. Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.

6 Postea eidem Abrahæ fidei experimentis probato confirmatur. S. S. E. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, Genes. 15.

7 Deinde etiam Iacob dormienti scala per quietem visa admirando arcanóque modo significatur. S. S. E. Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ, Genes. 28.

8 Iacob moribundus diuinum de humana salute consilium filijs arcano testamento obumbratum significat, & spem fidémque suam hæreditario præcepto posteris relinquit, Genes. 49.

9 Salutis, & libertatis Israëlitarum, quæ humanæ figura expressa futura erat, dux & procurator natus Moses diuina prouidentia à periculo liberatur, Exodi primo.

11 Moses fide antiquarum promissionum fultus, salutis specimen meditatur Aegyptio occiso.

12 Deus figuram humanæ salutis edere incipit & moliri in rubo ardenti Mosi ostensus.

13 Liberati Israëlitæ ex Aegypto humanam salutem futuram referunt, quæ iam populo comparato instrui inceperat, ex quo populo salutis Pontifex nasciturus erat.

14 Mare rubrum absolute salutis figuram obtinuit ex resurrectione mortuorum Iesu Christi.

15 Lex in Sina data populi fœdus cum Deo conciliatum probat futuræ nouæ legis signum.

16 Manna in desertum missa admirandæ cælestis prouidentiæ signum fuit erga eos, qui diuinæ salutis compotes euasissent.

16 In-

17 Ingreßi in promiſſam terram Iſraëlitæ, requiem promiſſam ſpiritualem certam pijs fore ſignificabant.
18 Expugnatio hoſtilium vrbium victoriam ſanctorum ſignificabat de principibus, & poteſtatibus, & hoſtibus omnibus reportandam diuina virtute.
19 Terræ diuiſio cæleſtis patriæ poſſeßionem portendebat.
20 Teſtamenti veteris exercitationes omnes & occupationes, vēturum ſalutis auctorem ſignificatum, expectandum prædicabant.
21 Vnum ex officijs eorum, qui ſalutem expectant, eſt pœnitentiæ ſtudium legitimum.
22 Omnia quæ in libris ſacrarum hiſtoriarum continentur, ad illam veteris teſtamenti conditionem referuntur, cuius ſcriptores & prophetas appingere ſatis fuit. Fuere autem
Samuel.
23 Nathan.
24 Dauid.
Salomon.
25 Iſaias.
Ieremias.
Daniel,
Eſdras.

Atque hactenus antiquorum librorum ſumma eſt. Deinde Euāgelij ſcriptores quatuor ſunt, Matthæus, Marcus, Lucas, & Iohannes, à quibus negotium ſalutis cœptum, prædicatum, & expeditum hoc ordine narratur.

34 Præcurſoris Chriſti natiuitas annuntiatur Zachariæ.
35 Deinde nuntius cæleſtis ad Virginem mittitur, matrem futuram Seruatoris.
36 Virgo in vtero gerens Chriſtum, Elizabeth gratulabunda ſalutat.
37 Præcurſor naſcitur.
38 Chriſtus naſcitur matre virgine.
39 Chriſtus circunciditur.
40 Rex Iudæorum pronuntiatus Chriſtus adoratur à Magis.
41 Ioſeph à Deo monitus migrat in Aegyptum cum puero & matre.
42 Chriſtus puer, duodecim annos natus, diuinæ ſapientiæ argumenta exhibet.
43 Iohannes annuntiat Chriſti præſentiam, præparat animos ad ſalutis fidem & ſpem.
44 Chriſtus baptizatus à Iohanne declaratur Dei filius voce cælitus audita.
45 Chriſtus tentatus vincit Satanam, & ſpecimen dat maximæ victoriæ futuræ.
46 Initium ſignorum Ieſu Chriſti in nuptijs.
47 Deinde incipit prædicare Euangelium Chriſtus.

48 Duode-

FINIS.

